




1. Ag: Hunnij libelli IV.
de persona Christi.
Wittenbergæ, 1587.
2. ejusdem, articulus
de justificatione homi-
nis peccatoris.
Francofurti, 1584
3. ejusdem, tractatus
de Majestate et
certitudine S. Scripturæ.
Francofurti, 1594

4 ejusdem articulus
de libero arbitrio
francofurti, 1597.

ou R

erius Tellen! R





4

ARTICVLVS
DE LIBERO
ARBITRIO, SEV HV-
MANI ARBITRII
VIRIBVS,

*EX SCRIPTVRÆ
SACRAE FVNDAMENTIS EX-
tractus, & forma Quæstionum ac Re-
sponsionum pertra-
ctatus.*

REFVTATIS E CONVERSO
PONTIFICIORVM, SYNERGI-
starum, Pelagianorum & Semipelagianorum
opinionibus, & quibus eæ nituntur,
rationibus & argu-
mentis.

AUCTORE
AEGIDIO HVNNIO,
S. THEOLOGIAE DO-
ctore, Professore, & Pastore
Vuitebergenfi.

FRANCOVRTI AD MOENVM,
TYPIS IOANNIS SPIESSII,

M. D. XC VII.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

7
PI
ac
DO
Ba
ri
in
pu
gò
te,
sti
bu
mò
tes



I L L U S T R I S S I M O

P I E N T I S S I M O Q U E P R I N C I P I

ac Domino, Domino PHILIPPO LV-

DOVICO, Comiti Palatino Rheni, Ducis

Bavariae, Comiti Veldentiano & Spanhei-

mensi, Domino suo clementissimo, sa-

lutem à Deo precatur Aegi-

dus Hunnius

D.



Vix est in omni Theo-
logia Christiana locus,
illustrissime Princeps,
Domine clementissi-
me, qui dissentientium
opinionum tanta va-
rietate in tot sectas diuisus, tamq; variè
in omnes fermè partes atq; formas dis-
putatus sit, atq; est hic, cui titulum vul-
gò faciunt, de arbitrij humani liberta-
te, seu libero arbitrio. Non est nobis in-
stitutum operosè persequi, quid in re-
bus diuinis pariter & humanis suè olim
mèti voluntatiq; adscripserint Sapien-
tes Græci & Latini in Gentilismo, quo-

)(2

modo

P R A E F A T I O.

modo rationem hominis, quam fides Christiana caecam in spiritualibus esse confirmat, ceu diuinam lucem atq; faciem deprædicarint, quæ suismet innixis viribus ad humanarum diuinarumq; rerum cognitionem acie sua penetrare valeat, quomodo hæc eadem sit optima præstantissimaq; totius vitæ gubernatrix, cui si obsecundet appetitus, efflorescat ex eo consensu rationis & appetitus (ratione ceu faciem præferente) actio laudabilis, ex qua sæpius iterata tandem habitus comparetur agendi secundum rectam rationem, vt in Philosophia morali virtus definiri consuevit. In cuius etiam actione optima & præstantissima felicitatem, adeoq; summum collocarunt bonum, & hinc animarum suarum, quas immortales esse saniores Ethnici, Philosophi præsertim non ignorabant, sempiternam beatitudinem sibi frustra pollicebantur.

Fuerunt alij, qui omni planè libertate voluntatem hominis spoliantes, fatalem quendam & adamantinum nexum

P R A E F A T I O.

xum ac dependentiam causarum, primæ & secundarum, sunt commenti, cuius vi contingenter nihil, omnia verò necessitate quadam eueniant, ita vt non bonarum duntaxat, sed & malorum actionum principium atque causam primam Deum esse statuerent, qui omnipotenti sua vi causas inferiores sic incitet, sic impellat, vt secus agere, aut in oppositum ferri nullo modo possint. Quorum cruda atq; horrida paradoxa, velut ex Orco reuocata, Calviniani hodiè absurditate propè pari, impietate certè longè maiore defensant, & in Scholas atque Ecclesias Christianas introducere moliuntur.

Hinc Theodor⁹ Beza Dei prouidentiam definit esse vim illam Dei sapientissimam & optimam, à cuius efficacitate, cuncta cum facta, tum facienda dependeant. Quodque hoc non minus de malis, quam bonis actionibus intellectum velit, ipsemet suæ huius Stoicæ definitionis interpretem non obscurum agit. Deum enim homines ad actiones malas &

) (3 peccata

P R A E F A T I O.

peccata inflexibili prædestinasse decreto passim scriptitat. Duo duntaxat testimonia delibare placet ex scriptis eius. Volumine I. folio 417. sic scribit: Quod subijcis Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad **C A U S A S D A M N A T I O N I S P R A E D E S T I N A S S E**, quoscunq; libuerit: **V E R V M E S S E A G N O S C I M V S**. Hæc ibi. Vbi non obscurum est, per causas damnationis nihil aliud, quàm peccata intelligi. Nec hoc diffitetur ipse, dum pag. 17. eiusdem voluminis *τερολογει*; sine **D E I A E T E R N O E T I M M V T A B I L I D E C R E T O** nihil fieri **V S P I A M A Q V O Q V A M**, **N E Q V E V N I V E R S A L I T E R**, **N E Q V E S P E C I A L I T E R**, **N E I I S Q V I D E M E X C E P T I S**, quæ (licet nõ quatenus à Deo semper bono & iusto **D E C E R N V N T V R**, sed quatenus à Satana & alijs malis instrumentis sunt) **M A L A** sunt, **A C P R O I N D E D E T E S T A N D A**.

Quam non dicam Stoicam opinionem, sed ex ima abyfso eructatam Satanae

P R A E F A T I O.

nae blasphemiam, ante Bezam Calu-
nusin suis institutionibus impiè pro-
fessus est, hoc pacto scribens: Rursum
nonne ad eam, quæ nunc pro damnatio-
nis CAUSA obtenditur, corruptionem,
DEI ORDINATIONE PRAEDE-
STINATI antè fuerant? Cùm ergò in
sua corruptione pereunt, nihil aliud
quàm poenas luunt eius calamitatis, in
quam ipsius PRAEDESTINATIONE
NE lapsus est Adam, aut posteros suos
præcipites secum traxit. Annón itaq;
iniustus, qui creaturis suis tam crudeli-
ter illudit? Fateor sanè in hanc, qua nūc
illiguntur sunt, conditionis miseriam DEI
VOLUNTATE decidisse vniuersos fi-
lios Adam: atque id est, quod principio
dicebam, redeundum tandem semper
esse ad SOLVM DIVINAE VOLVN-
TATIS ARBITRIUM, cuius causa
in ipso abscondita.

Vnde satis euidens est, ne quidem in
externis actionibus, siue bonis, siue
malis, voluntati hominis suam consta-
re libertatem, si dogma profanum hoc

P R A E F A T I O.

Caluinisticum quicquam valere sinas. Quomodo enim id in hominis arbitrio situm esse queat, ad quod immutabili DEI decreto iam inde ab vltima aeternitate praedestinatus est, idq; adeo, vt nec ad oppositum eius sese flectere, neq; hoc, ad quod illum Dei prouidentia ordinauit, intermittere vlla ratione possit? Verum prodigiosa haec aduersariorum impietas antehac quoq; plurimorum scriptis iugulata, & in eas angustias coniecta est, vt ipsosmet Doctores Caluinisticos sui istius flagitiosissimi portenti non obscure pudeat ac tedeat.

Iam si Pontificiorum doctrinam excutiamus, neq; haec in disputatione de libero arbitrio suis caret erroribus longe crassissimis. Latet enim in intimo eius recessu tetra illa iam olim ante aliquot secula condemnata Pelagianorum haeresis. Certè scholastici Doctores, qui Regni Papistici putabantur esse columnæ; tantum tribuerunt voluntati hominum etiam non renatorum, quantum vix vllus Pharisaus vnquam tribuere

P R A E F A T I O.

buere fuit ausus. Quandoquidem non facultatem solum ad Dei gratiam sese pulchrè accommodandi adscripserunt corrupti hominis viribus: sed meritum insuper, quo voluntas naturali potestate faciens, quod in se est, gratiam illam DEI ex congruo mereatur, atq; sic initium quoddam suæ coram Deo iustificationis & æternæ salutis faciat.

Sic pestilens hic error in ipsam vsq; arcem salutis nostræ penetrauit, vt articulum gratuitæ coram DEO iustificationis penitissimè labefactaret, imò funditus euerteret. Quis enim, quæso, gratuita iustificatio constare valeat, si homo naturalibus suis viribus eam præuertere, ad illam sese præparare, applicare, quin de congruo promereri eam posse statuatur? Ita verò non gratiæ Dei, sed naturæ viribus ipsum principium iustificationis & salutis adscribitur, secus quàm sanctorum Prophetarum & Apostolorum senatus decernit.

Quamprimùm etiam hæc arbitrij humani venditata libertas sacrarum litera-

P R A E F A T I O.

rum testimonijs per Lutherum deiecta & euerfa est, confestim quoq; gratuita justificationis Articulus in pristinas suas sedes ceu postliminio reuocatus, & ex superiorum ætatum tenebris plus quàm cimmerijs in clarissimam Euangelij lucem productus est.

Interim Romanenses Pontificij hunc Pelagianum iuxtà & Pharisaicum errorem non correxerunt, sed coloribus duntaxat incrustarunt, & quid velent, studuerunt potius verborum inuolucris in tenebras abdere, quàm in apertam lucem proferre. Tametsi ne sic quidem pudendi sui erroris foeditatem omni ex parte occultare quiuerint, utpote cuius turpitudinem Diuus Lutherus & scriptis suis verè *Ἰεροπνεύστis* clarissimè detexit, & D. D. Chemnitius Tridentinae Synodi hac de re conceptos Canones, opere suo verè aureo, cui titulus est, Examen Tridentini Concilij, solidissimè refutauit.

Porro in medio quasi sinu Ecclesiarum

rum

P R A E F A T I O.

rum nostrarum exorti fuerunt alij, qui licet in quaestione de libero arbitrio non per omnia Pontificijs applauderent, aliquid tamen erroris ex contagio certaminis Interimistici sibi contraxerunt, ut voluntatem hominis in spiritualibus semimortuam affirmare mallent, quàm ad bonum penitus emortuam.

Finxerunt igitur, superesse in natura vires licet modicas admodum, easq; languidas & imbecilles, quibus homo non renatus sine Spiritus sancti auxilio nihil ad sui conuersionem operari queat, adiutus tamen ope Spiritus sancti, possit eidem naturali quadam facultate cooperari. Vnde & tres causas conuersionis commenti sunt, inter quas expressè numerarunt & voluntatem hominis, cuius synergiam etiam argumentis astruere laborarunt.

Verùm ne intra has quidem metas sese cohibere potuit effrenis illa humani ingenij petulantia. Semper aliud atque aliud effingere, semper aliam ex
alia

P R A E F A T I O.

alia opinionem procudere conata est, qua lucidam veritatem istius capituli doctrinae coelestis, humani sui cerebri fumo obnubilaret. Reperiuntur enim, qui dum in huius articuli explanatione audiunt, esse fidem, Apostolo teste, non nostrarum virium, sed DEI solius opus atque munus, & verò cernunt, eam non promiscuè dari omnibus, protinus absolutum fabricantur decretum DEI, quo statuerit certis quibusdam personis in aeterno consilio peculiariter electis conferre fidem, cæteris absque misericordia reiectis, & mero diuinæ suæ voluntatis beneplacito reprobatis. In hoc præcipitium erroris agit illos vnum hoc, quòd ad mediorum salutis vel vsurpationē, vel eorundem contemptum non respiciunt, nec expendunt, licet fides à sola benefica operatione gratiaque DEI oriatur, eam tamen non absque medijs in homine excitari, sed per prædicationem & auditum verbi: quæ salutis aeternæ media quia magna hominum

P R A E F A T I O.

num pars securè negligit, quin & auditorum plerique prædicatum auditumque verbum diuersis modis atque studijs infrugiferum sibi reddunt, ipso etiam Salvatore teste in parabola Luc. 8. Hanc enim præpeditæ fructificationis causam, non in voluntate seminantis, vt nec in ipso semine quærendam, sed culpam eius rei in Satana & audientiũ peruersitate vnicè residere, Dominus ipse in suo illo parabolico sermone liquidissimè testatur.

Cùm ergò circa hunc articulũ tam variè contingat hallucinari: ego illum consueto meo more quæstionibus & responsionibus sum complexus, sententiam veram, ex verbo DEI in libro Concordiæ Christianæ firmiter astruetam genuinis dictis scripturæ sacre stabilens, vicissim opiniones Pontificiorum, Synergistarum, Pelagianorum & Semipelagianorum, aliorumque qui in hoc capite à tramite veritatis exorbitant, non nudè rejiciens, sed perspicuis testimonijs sacrarum literarum & argu-

P R A E F A T I O

argumentis inde extractis euertens.

Quem laborem in vsum tyronum sacrae Theologiae sic concinnatum, vt hoc tempore in publicum exire sine-rem, fecit D. Daniel Hofmannus, cuius pagellae superiore mercatu Francofurtensi, Calvinistarum typis exscriptae, mihi in praesente hoc articulo huiusmodi opiniones affingunt, quae mentem meam ne per febrim quidem aut somnium subierunt vnquam. Quae ini- quae accusationes in hoc libello suis opportunis locis, sine acerbitate, mo- destè ac perspicuè refelluntur.

Hoc autem opusculum quàmlibet exile, Tuæ potissimum Celsitudinis au- gusto nomini, Illustrissime Princeps, Domine clementissime, sacrum esse vo- luit, quod inclyta Celsitudo tua hoc tēpore vera & solida cum laude, sit ex primarijs Nutritijs & nobilissimis verae Ecclesiae Christi membris, vtpote quae doctrinam coelestem in Dei verbo patefactam, & in Augustana confessione, huius Apologia, Libro item Christianae Concordiae lu- culen

P R A E F A T I O.

culenter explicatā, flagrantissimo veræ pietatis ardore atq; zelo nō solum amplectitur ipsa, sed insuper in hāc curam indefessam toto animi conatu incumbit, vt hic tantus thesaurus, à cunctis Pontificiorū, Calvinistarū, aliorumq; Sectariorum corruptelis & erroribus immunis ad venturam posteritatē propagetur. Quo nomine vera Dei Ecclesia Tuę Celsitudini gratias deberi immortales grata mente agnoscit, proq; illius incolumitate, vitæ longæuitate omnisque generis prosperitate preces facit, & vota soluit. Sed & amabile vinculum illud propinquitatis (quo T. C. Illustrissimo itidem celsissimoq; Principi ac Domino, Domino Friderico V Vilhelmo, Duci Saxoniae, & inclyti Electoratus Administratori, Genero suo, Domino meo clemētissimo, iuncta est) me in hoc dedicationis opere facit alacriorē, præsertim cū accedāt clementiæ, qua me C. T. complectitur, signa minimè obscura, cum primis illud, quòd Stipendiarios suos, sacre Theologie Studiosos,
meæ

P R A E F A T I O .

meæ fidei & inspectioni clementer
commendauit, ijs quoq; me beneficijs
ornauit & cumulauit, quæ me, præter
obseruantie cultum, ad perpetuam gra-
titudinem obstringunt. Cuius aliquo
modo declarandæ causa leuidens hoc
literarium Munus Theologicum, cum
demissa testificatione ac promissione
precum & officiorum meorum T. C.
humiliter offero, Deum æternum Pa-
trem Domini nostri Iesu Christi, toto
pectore orans, vt Celsitudinem tuam
cum prædilecta coniuge, ac generosissi-
mis liberis, nunquam nõ ab omni ma-
lo tutam, incolumem, florentemque
conseruet, ad diuini nominis sui gloriã
& afflictissimæ Ecclesiæ salutẽ, Amen.
Vuitebergæ, die 28. Augusti, Anno salu-
tis humanæ 1597.

C. T. Subiectiss.

Ægidius Hunnius D.

Errata.

Pag. 3. vers 7. pro regenerationem lege resurrectionem. p. 4. v. 6. prædestinante Deo) insere contendunt. p. 53. v. 22. idemq; . 67. v. 8. æconomicis. 91. v. 9. pro-
ferri possent. 96. v. 20. ὀρεξίτην. 98. v. 21. quæ. 107.
vlt. v. hoc igitur insecuto statu volunt. Cætera æquus
lector corriget.

I
DE LIBERO AR-
BITRIO.

De Libero Arbitrio disputatio, an non
est de nudo & inani titulo, & proin-
de inutilis?

Quidem quòd in diuinis & Spiri-
tualibus rebus nullum sit arbi-
trium humanæ voluntatis, sed res
de solo titulo; est id in nostris Ecclesiis extra
dubitationem positum. Non autem ideò rectè
concluditur, ociosam esse hanc de libero arbi-
trio disquisitionem, quæ non eò suscipitur, ut
arbitrii humani libertas in spiritualibus as-
seratur, sed ut euertatur. Quemadmodum
de purgatorio, alijsq; nugis à Diabolo & eius
organis confictis inuitur etiam in nostris Scha-
lis & Ecclesiis disputatio, non ut probetur,
ea esse; sed ut demonstretur, non esse.

Vtilem ergò & cognitione dignam
æstimas hanc mate-
riam?

Quid ni? Nam & per se consideratu di-
gnum imò necessarium est, num ex nobis no-
A strisq;

2 T R A C T A T V S

strisq; naturalibus viribus ea, qua salutem nostram attingunt, oriantur, an verò ex vniuersi Dei gratuito beneficio. Et habet insuper tractatio hæc suam cum multis alijs articulis, puta de imagine Dei, de peccato, de contingencia & necessitate, de predestinatione, de gratia, de Iustificatione, de pœnitentia, &c. confinitatem, qui nec utiliter explicari, nec rectè & sine hallucinatione intelligi possunt, nisi hic de seruo potius, quàm libero arbitrio, locus ex scripturæ fundamentis dextrè propositus & explicatus fuerit.

Qua methodo censes utiliter istam materiam tractari posse?

Si homo secundum diuersos suos status debito discrimine consideretur; Tum enim quid in quolibet statu ei tribuendum, vel non tribuendum sit, distinctè quoque moneri & indicari potest.

Qui & quot sunt illi status hominis?

*Quatuor. Primò enim consideratur homo in concreata originali perfectione ante
la.*

DE LIBERO ARBITRIO. 3

Lapsum; Deinde in natura corrupta post lapsum, cum ante reparationem, tum in ipso conversionis actu, quomodo ad aduentantem gratiam sese habeat. Tertio post factam conversionem & regenerationem, in statu nouae obedientiae. Quarto in consummata perfectione alterius seculi post regenerationem.

DE STATU HOMINIS ante lapsum, quod attinet arbitrium eius.

Ante lapsum qualis erat Homo?

Conditus erat ad imaginem Dei, Gen. 1. in iustitia & sanctitate veritatis, Eph. 4. ita ut in ipsius mente fulgeret lux sapientiae & cognitionis Dei & operum ipsius, Gen. 2. In voluntate conformitas cum Deo Archetypo; in cunctis viribus anima totiusque corporis membris rectitudo, & cum mente voluntateque Dei pulcherrima congruentia. Fuit autem simul positus in libertate arbitrij, ut vel in bono perseuerare per obedientiam, vel transgressione mandati se ab illo auertere

A 2 re pos-

4 T R A C T A T V S

re posset, Ecclesiast. 15. Quòd autem Caluinus & sectatores illius omnem etiam ante lapsum libertatem homini nefariè derogant, & necessario lapsum esse (sic nimirum, ut aiunt, censente, & ordinante, & ad lapsum predestinante Deo) est hoc impiù dogma pridem ex Ecclesiarum Augustanae Confessionis agro profligatum, & multorum scriptis prostritum, ut & nouissimè in meo de Providentia & Predestinatione libro ex professo confutatum: eò ergo remitto lectorem. Porro homo arbitrij sui libertate turpiter abusus defecit à Deo per accepti mandati prauaricationem, & inobedientia actu vitioso naturam prius integram horribiliter corrupit.

DE STATV HOMINIS post lapsum.

Cùm in hoc Articulo præcipua quaestio sit de homine per lapsum corrupto: quaero, quid in eo lapsu amiserit, quid retinuerit?

Substantiam quidem suam, hoc est, animam rationalem & corpus, adeoq; naturam

TAM

DE LIBERO ARBITRIO. 3

nam essentia ratione integram retinuit; lucem autem illam saluifica notitia Dei, unā cum originali iustitia penitus amisit, succedentibus in mente tenebris, in voluntate autem auersione à Deo omniumq; virium animæ, & membrorum corporis, extrema corruptione & contumacia. Et qualis euasit ipse, tales etiam de se procreauit posteros, sicut scriptum est: Genuit Adam hominem ad imaginem SVAM, Genes. 5. Quis enim dabit mundum de immundo? Iob. 14.

Extincta igitur est omnis humanæ voluntatis vis & facultas naturalis?

Non hoc dicimus, sed per distinctionem respondemus, ipsum VELLE, quod est anima humana naturalis facultas, mansisse reliquum. At vim illam volendi, intelligendi, eligendi & faciendi bonum in rebus spiritualibus & ad aeternam salutem pertinentibus, prorsus extinctam & amissam esse pronunciamus. Distinguendum enim hinc est inter res externas ad hanc vitam pertinen-

A 3 res.

6 T R A C T A T V S

tes, & inter eas, quæ propriè saluificam agnitionem Dei & æternam hominum beatitudinem concernunt.

Quid ergo virium in externis remanserit, scire aucto?

Primò aliqua lux in mente, quæ lumen natura dicitur, velut est notitia omnium hominum mentibus impressa, esse Deum, esse illum rerum omnium conditorem, Rom. I. esse colendum, esse ultorem scelerum, &c. similiter illa natua facultas ratiocinandi, & unum ex altero ingeniosè colligendi ac concludendi: singularis item industria beneficia rationis admiranda faciendi opera & architectandi structuras brutis animalibus inimitabiles. Quemadmodum eo lumine natura ab hominibus etiam infidelibus non tantum artes omnis generis mechanicas inuentas & expolitas, verum etiam scientias Philosophicas insigniter excultas esse constat. Huc pertinet quoque discrimen honestorum & turpium, ex quo Philosophi & legislatores etiam gentiles extruxerunt præcepta vite, regu-

DE LIBERO ARBITRIO. 7

ta, regulas honestatis & morum, leges civiles cum Decalogo seu lege morali, quàm pulcherrimè congruentes, secundum quas etiam saniores Ethnici aliquo modo cum vixerunt ipsi, tum cætus hominum integrasq; Respublicas gubernarunt. Hinc virtutes gentiliumpassim celebrata leguntur, velut temperantia Socratis, Iustitia Aristidis, Castitas Lucretia, &c. Atq; hoc est, quod de gentibus enunciat Apostolus: gentes, quæ legem non habent natura, quæ legis sunt, fecisse, & ostendere opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus veletiam excusantibus, Rom. 2.

Saluati sunt gentiles hac noticia DEI?

Na quidem Erasmus de nonnullis Ethnicis censet, ita Zuvinglius in nouissimo suo libro Galliarum Regi nuncupato de Hercule, Theseo, Aristide, Socrate, Numa Pompilio, Catonibus, Scipionibus, & alijs Ethnicis, quos veri DEI & Christi penitus ignaros fuisse,

A 4 fuisse,

8 TRACTATUS

fuisse non ignorabat, scribere non est veritas. Verum scriptura teste ac iudice saluati illi minimè sunt. Quamuis enim ex creatione mundi perspectum aliquo modo habuerint, quid sit Deus, videlicet mens aeterna, sapiens, iusta, bona, casta, creatrix rerum omnium, & autor boni in natura; tamen quis sit ille DEVS, nempe Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & quomodo sit erga nos affectus, & quo medio nos in aeternum saluare velit; id verò prateritis aetatibus, ut loquar cum Apostolo, non innotuit filiis hominum, Eph. 3. Et quia nitebantur illi non fiducia filij DEI, sed suismet virtutibus, idcirco saluatos eos esse nemo pius pronunciauerit. Nemo enim venit ad Patrem, nisi per Christum, Ioh. 14. & non est in vlllo alio salus, Actor. 4. Siquidem hac est vita aeterna, ut cognoscant homines verum DEVM & quem ille misit Iesum Christum, Ioh. 17. Hunc qui ignorat, vicissim ignorabitur.

Atqui

DE LIBERO ARBITRIO. 9

Atqui dicit Apostolus, gentes naturâ fecisse ea, quæ legis sunt, & addit ibidem, factores legis iustificatum iri?

Sanè factores legis, si perfectè eam impleant, iustificabuntur ea legis impletione. Quando verò de gentibus affirmat Paulus, quòd natura fecerint, quæ legis sunt, non obedientiam eis tribuit perfectam, quæ ne inrenatos quidem Christianos cadit in hoc seculo, sed tantùm indicat, illos in aliquibus rebus ductu luminis naturæ vixisse secundum virtutem moralem. Quæ ipsa tamen obedientia multis modis fuit manca & mutila. Primò quia profecta à personis, quæ non erant in gratia. Deinde quia non ex fide, quod autem ex fide non est, peccatum est, Rom. 14. Tertio quia non ad DEI gloriam, sed propriam ipsorum laudem referebatur. Et deniq; ne à longè quidem vlla ex parte attingebat eminentem & consummatam illam diuina legis perfectionem.



A S Nihil

IO T R A C T A T V S

Nihil ergo virium in rebus æternæ salutis superesse putas homini post lapsum?

Accuratè hic distinguatur inter externam pedagogiam, & spiritualem DEI gratiam. Nam ratione pedagogia externa regere potest homo locomotiuam, hoc est, ingredi templum vel non ingredi, audire conciones verbi, vel aures obstruere. In spiritualibus verò, cuiusmodi sunt assensus internus mentis, conuersio ad Deum, salutaris agnitio Christi, notitia mysteriorum Euangelij, fides, &c. In his, inquam, ne modiculum quidem illud, de quo Erasmus disputat, superest homini suis viribus relicto; sed sunt hæc unius ac solius Spiritus sancti virtuti & operationi in solidum adscribenda. Ita namq; totus homo corruptus est, ut nec mente sua intelligat, nec voluntate eligat aut faciat bonum spirituale, nec ad illud vel intelligendum vel faciendum proprijs viribus villo pacto se disponere valeat.

Vnde

DE LIBERO ARBITRIO. M

Vnde patet principem facultatem animæ, mentem videlicet, orbatam esse cognitione rerum ad salutem propriè pertinentium?

Id hinc apparet, quia homo extra gratiam constitutus appellatur tenebræ: Sicut scriptum est, Ephes. 5. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et Iob. 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Nec sumus idonei (sc. in rebus spiritualibus ac diuinis) cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, 2. Cor. 3. Quapropter 1. Cor. 1. legitur, quòd mundus per sapientiam suam Deum non cognouerit. Habet enim homo cor naturâ insipiens & non intelligens, Rom. 1. Ephes. 4. cuius cogitationes stultæ sunt, Rom. 1. Vana sunt, Psal. 94. Mendaces sunt, & ipsa vanitate vaniores, Psal. 62. Non est, qui intelligat, non est, qui exquirat DEVM, Psal. 14. Animalis homo non intelligit ea, quæ sunt spiritus DEI, stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere quod spiritualiter dijudicatur, 2. Cor. 3. Imò quò validius intendit suam aciem hu-
mana

manaratio ad mysteria DEI peruestiganda,
 eò fortius inde repellitur, & profundius in
 sua cecitatis tenebras relabitur. Idcirco
 Paulus ipsum $\nu\omicron\nu\mu\alpha$ (præstantissimam ani-
 mæ potentiam) sub obsequium Christo capti-
 uandum monet, 2. Cor. 10. Etenim caro &
 sanguis talia non reuelant, sed pater, qui in
 cælis est, Matth. 16. Secundum illud Chri-
 sti: nemo nouit filium nisi pater, & nemo no-
 uit patrem nisi filius, & cui filius voluerit
 manifestare, Matth. 11. Manifestat autem
 per Spiritum suum, secundum illud Apostoli:
 Quis hominum nouit ea, quæ sunt hominis,
 nisi spiritus hominis, qui est in eo? Sic & ea,
 quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei.
 Et nos accepimus spiritum, qui ex Deo est,
 ut sciamus, quæ à Christo donata sunt nobis,
 1. Cor. 2. Accedit ad naturalem humanæ
 mentis cecitatem, funesta quoque Diaboli ope-
 ratio in filiis incredulitatis. Is amplius ex-
 cecat corda incredulorum, ne illucescat eis
 lumen Euangelij gloriæ Christi, 2. Corin. 4.
 Quod declarat triste exemplum gentilium,
 qui & natura & Sathana in ijs efficaci ope-
 ratione

DE LIBERO ARBITRIO. 13

*ratione ambulabant in vanitate mentis suae,
mentem habentes obtenebratam, ab alienati
à vita Dei propter ignorantiam, quae est in
illis & excacationem cordis illorum, Ephes.
4. Declaratur idem exemplo Iudaorum, de
quibus Esa. 6. Matth. 13. Ioh. 9. & 12. &
Actor. 28. dicitur, quod excacati sint, ut vi-
dentes non videant, & audientes non intel-
ligant.*

Videmus autem homines etiam im-
pios, qui Spiritu Dei non ducuntur,
intelligere sublimes Articulos de
Trinitate, incarnatione ver-
bi, & alios?

*Non ex natura viribus eam hauserunt
notitiam, sed ex institutione patefacti verbi
in Ecclesia, sine qua praesupposita diuini verbi
patefactione nihil quicquam de Christianae
fidei mysterijs in omnem perpetuitatem illis
innotuisset. Deinde haec ipsa notitia in homi-
nibus impijs sic comparata est, ut litera potius
constet quam Spiritus, hoc est, secundum lite-
ram quidem aliquo modo cognoscunt illa ca-
pita*

14 T R A C T A T V S

pitare religionis, de q̄ ijs differere norunt, sed ea
notitia non est in illorum mentibus obsigna-
ta gratiosè per Spiritum Sanctum, neq̄ ad-
iunctam habet fiduciam cordis, qua aliàs
cum notitia congregiens fidelem & saluifi-
cum illum cordis assensum constituit, quem
Scriptura fidem nominat.

Num & voluntati non regeneratæ scri-
ptura vim omnem derogat coope-
randi Deo in spiritua-
libus?

Maximè. Quàm enim sit homo in sua
voluntate, & consequenter in inferioribus
viribus uniuersis, extremè corruptus & de-
prauatus, donec hæc Spiritus sancti testimo-
nia, quibus homini suis viribus relicto, ex-
tra regenerationis gratiam tribuitur Cor la-
pideum, Ezech. 36. Cuius omne figmentum
tantummodò malū sit ab adolescentia, Gen.
6. quodq̄ sit fons omnium peccatorum. Matt.
15. Affirmatur de homine nondum conuerso,
quòd sit in peccatis mortuus, Eph. 2. Quem-
admodum autem homo naturaliter mortuus
nihil

DE LIBERO ARBITRIO. 15

nihil opis afferre potest ad sui resuscitationem: ita homo spiritualiter in peccatis mortuus nihil Spiritui sancto cooperatur, ad sui uiuificationem, hoc est, ad sui conuersionem, illuminationem, regenerationem. Adhuc dicitur homo ante conuersionem inimicus Dei, Rom. 5. Et de prestantissima *δυνάμις* voluntatis humanae praedicatur Rom. 8. quod τὸ σφόνημα (sensus seu prudentia carnis) inimicitia sit aduersus Deum: Siquidem legi Dei se non modo non submittat, sed ne possit quidem subdi, Rom. 8. & ut compendio dicam, omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, Psal. 14. & 54. & Rom. 3. Referitur huc sententia Christi, Ioh. 6. nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit illum. Hinc fides Dei opus, Ioh. 6. & Dei donum praedicatur, 2. Thes. 3. & Phil. 2. affirmatur dari nobis à Deo, ut credamus, & pro nomine Christi patiamur. Solus enim Deus est, qui dat velle & perficere, Phil. 2. Hoc adeo verum est, ut etiam renatis Apostolis dicat Dominus: Sine me nihil potestis facere, Ioh. 15.

Cumq̄

Cumq̄, Paulus in statu nouæ obedientiæ confirmare non dubitet, se venditum esse sub peccatum, & captiuum reddi legi peccati, Rom. 7. quid de his statuendum, qui spiritu Dei renati nondum sunt?

Quomodo ergo se habet hominis voluntas in actu conuersionis?

Non ut causa σύνεργη, quæ gratiam Dei vel gratiosam Spiritus sancti operationem anteuertat, eamq̄, ut Scholastici de merito congrui disputarunt, promereatur, veletiam quæ in ipsa conuersione efficienda Spiritui Sancto ex naturalibus suis viribus coöperetur; sed habet in illo conuersionis actu se ut subiectum conuertendum, & ut Lutherus rectè censeat, merè passiuè.

Imò nisi agat homo, id est, nisi agnitis peccatis in Christum credat, non fit conuersio. Actiuè igitur & non merè παθητικῶς se habet homo conuertendus?

Distinguendum est conuersionis vocabulum

DE LIBERO ARBITRIO. 17

lum in sua significata. Bisariam enim in sa-
cris literis usurpatur. Etenim vel in latiore
significatione sumitur pro pœnitentia, quæ
etiam in statu factæ iam conuersionis & in-
secutæ renouationis durat. Vel denotat in
speciali & stricta significatione illam muta-
tionem mentis & voluntatis, seu hominis è
statu corruptionis in statum gratiæ transla-
tionem, qua homo virtute Spiritus sancti
per prædicatum & auditum verbum à pecca-
tis ad Deum, ab erroribus ad veritatem, ab
incredulitate ad fidem conuertitur. Quæ
translatio quàm primum facta est, statim in
puncto accensæ in homine fidei, non dicitur
ille amplius inconuersus, vel demum conuer-
tendus: sed iam iam conuersus. Hac ratione
conuersio, de qua in hoc Articulo queritur,
inter duos illos status vertitur, corruptionis
& gratiæ, vebut inter duos terminos, &
actionem illam Dei complectitur, qua homi-
nem mediante verbo ex misera sorte corru-
ptionis & peccati, in beatam illam gra-
tiæ conditionem tra-

ducit.

B

Secum=

Secundum hanc differentiam quomodo se habet voluntas?

In quotidiana pœnitentia homo iam conuersus omnino agit, & Spiritui sancto coöperatur, id ipsum verò non ex proprijs naturalibus viribus, sed ex donata Spiritus sancti gratia. In posteriore autem significatione stricta homo nihil quicquam valet ad sui conuersionem efficiendam. Non enim semetipsum à tenebris ad lucem reuocare, à morte ad vitam reducere, à Sathana ad Deum conuertere potest, sed solius Dei hoc est, quem admodum allegatis supra Testimonijs euidenter est demonstratum.

Estné hæc significatio posterior vocabuli Conuersionis fundata in sacris literis?

Omninò. Testantur enim id dicta, quæ propriè de conuersione hominum agunt, & utriusq; termini (à quo, & ad quem) disertam mentionem faciunt. Sic enim Actor. 14. concionatur Apostolus: Annunciamus vobis,

DE LIBERO ARBITRIO. 19

vobis, ut ab istis vanis (cultu scilicet idolorum) conuertamini ad Deum viuum, qui fecit caelum & terram. Sic Actorum 26. dicitur: Mittote in gentes & populos, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Diaboli ad Deum, 1. Thess. 1. Ipsi de vobis annunciant, qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo conuersi fueritis ad Deum à simulachris. Planè ut & Petrus 1. Epist. 2. de conuersione loquitur; Eratis velut oves errantes, sed conuersi estis ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.

Si habet se homo in sua conuersione merè passiuè, quomodo dixisti suprà, hominem etiam nondum conuersum posse audire verbum

DEI?

Illud merè passiuè intelligendum est respectu aduentantis gratiae, & respectu ipsius effectiōnis fidei & conuersionis. Quòd enim audit homo verbum, nihil quicquam hac auscultatio ad conuersionem efficiendam vale-

B 2 ret,

ret, nisi Deus libera sua voluntate & dono
merè gratuito huic auditui cœlitus benedice-
ret, eumq; Spiritus sui virtute fructuosum
redderet. Quamuis igitur homo facultate
virium suarum naturaliū vel audire potest
verbum, vel non audire; tamen ut per hunc
externum auditum conuersio excitetur &
fides, id verò nec ab ipso per se auditu depen-
det, multoq; minus humana voluntatis arbi-
trio, vel natura non regenerata viribus ac-
ceptum ferendum est.

Nihilominus quia Deus sic ordinauit,
quòd per auditum verbi fidem operari
velit, Rom. 10. sequi videtur, eos, qui
verbum audiunt, hoc ipso ad sui con-
uersionem & fidem aliquid afferre, &
hoc auditu se ad conuersionem præpa-
rare, si enim non audirent, utiq; non
conuerterentur, nec donaren-
tur fide?

Hoc ipso, quòd dicis Deum sic ordinasse, ut
per auditum fides accendatur; viribus hu-
manis derogas, quicquid ordinationi diuinae
transcri-

DE LIBERO ARBITRIO. 21

transcribis. Adde, quòd auditum istum
 tuum Deus misericordia sua iam anteuertit.
 Nisi enim ille verbum suum ex mera gratia
 & misericordia patefaceret, nunquam illius
 audierdi copia tibi contingeret. Interim si
 conferatur auditor verbi cum manifesto
 eius contemptore, qui ne audire quidem illud
 sustinet, certum est hunc suo contemptu obsta-
 re sibi, quò minus in corde suo fides accenda-
 tur. Non autem econtra alter ille, audiendo
 verbum quicquam ad efficientiam fidei con-
 fert, licet pædagogiam externam præstet,
 quæ non per se & in quantum ab homine
 proficiscitur, salutaris est, sed tantum ex li-
 bera & gratuita operatione Dei. Manet
 itaq; fixum firmum, auditum nostrum per se,
 & studium illud qualecunq; externum, quod
 auscultationi verbi impenditur, nihil pror-
 sus ad rem facere, nisi Deus gratuita sua vir-
 tute liberoq; dono per auditum illum esset ef-
 ficax: secundum illud, Rom. 9. Non est
 volentis, neq; currentis, sed mise-
 rentis Dei.

(::)

B 3

Quòd

Quòd homo etiam non renatus audire verbum possit, aliquo etiam externo studio discendi adhibito, quomodo confirmas?

Primò sacræ scripturæ testimonijs: Deinde exemplis in ea descriptis: deniq; argumento à manifesta & irrefragabili experientia petito.

Recita testimonia, quibus id, quod dicis, confirmari censes?

Confirmat id Deus per Prophetam Amos cap. 8. hac gravissima comminatione: Ecce dies venient, dicit Dominus, & mittam F A M E M in terram, non F A M E M panis, neq; sitim aquæ, sed A V D I E N D I V E R B U M D O M I N I: & current à mari usq; ad mare, & ab aquilone usq; ad orientem circumibunt, Q V A E R E N T E S V E R B U M D O M I N I & non inuenient. Ipse sonus atq; tenor verborum ostendit, non de renatis seu conuersis Iudæis hoc loco agi, quos Deus tristissima hac pæna ablationis verbi punire non solet, imò quomodo essent renati, si care-

sicarerent verbo Domini, ex quo renascen-
 tia hac excitari solet, 1. Pet. 1. Sed de his, qui
 verbum Domini, licet illud operose quærant,
 non tamen inueniant, idq; in penam iustam
 antegressi contemptus verbi, aliorumq; pecca-
 torum. Atq; nihilominus aperta voce FA-
 MES adscribitur eis audiendi V. R. B. I:
 que fames sine studio discendi constare in
 æternum nequit. Sic hominibus aliàs per-
 uersis adscribit Apostolus studium quoddam
 externum discendi, quanquam id ob precon-
 ceptum errorem cadit in frugiferum. Dicit
 enim de ijs, quòd semper discant, nec tamen
 unquam ad agnitionem veritatis venire
 valeant, 2. Tim. 3. Sic cum Paulus de re-
 probis Iudæis scribat, illos id, quod quære-
 bant, non esse assecutos, Rom. 11. nempe iu-
 stitiam & vitam: & verò vitam quære-
 bant, ubi reconditam eam esse arbitran-
 tur; Christus autem liquido confirmet, ipsos
 iudicare, quòd in scriptura vitam æternam Iohan, 5.
 habeant: sequitur ex hac diuersarum senten-
 tiarum (Christi & Pauli) collatione, quòd
 vitam æternam QVAERANT (hoc enim

verbo utitur Apostolus) in scriptura, quòd
 querere sine discendi studio constare nequit.
 Quanquam interim illud studium querendi
 & discendi infelix per accidens fiebat, quòd
 non in scriptura SOLA (quæ salutem in so-
 lius fidei iustitia ponit) sed insuper in suis
 humanis traditiunculis earumq; observatio-
 ne iustitiam & salutem addiscere labora-
 bant.

Profer vt pollicitus es etiam exem-
 pla scripturæ?

Exempla duo accipe maximè illustria.
 Herodes erat homo, minimè renatus. Ni-
 hilominus teste Marco (ἡδ' εὐσ) LIBEN-
 TER audiebat Iohannem Baptistam con-
 cionantem, nonnunquam etiam in aliquibus
 obsequabatur ei, licet Spiritu Dei renatus
 non esset, Marci 6. Sic & Proconsul Pau-
 lus Sergius, gentilis, quin & perditissimi
 magi Elymæ patronus & admirator, audita
 fama aduentus Pauli & Barnabæ, accersit
 illos. Desiderabat enim (inquit Euangelista
 Lucas) ex eis audire sermonem Dei, Act. 13.

Desidera-
 bat: in
 greco, ἐπε
 ζήσασθε

Cur

DE LIBERO ARBITRIO. 25

Cur verò illum audire desiderasset, si non ali-
quod in eo fuisset studium addiscendi & co-
gnoscendi, qualis ea sit doctrina, præsertim
tàm claris miraculis stipata? Et fuit certè hoc
studium eius, quamlibet externum, operante
Deo fructuosum, ut eius auscultatione ad fi-
dem Christi perduceretur, accedente præser-
tim miraculo nouo, edito in impostore mago,
qui prius & proconsulem & alios præstigijs
suis dementauerat. Fuisset idem etiam in
Herode frugiferum, si non spinis voluptatum
seculi huius & peccatorum studijs, impudico
præsertim amore Herodiadis, semen illud
verbi à Iohanne prædicati suffocasset.

Quomodo idem probas experientia
testimonio?

Testatur experientia, Anabaptistas aliosq;
fanaticos magnâ diligentia legere in scriptu-
ra, præsertim Noui Testamenti, idq; facere
studio addiscendi viam ad vitam æternam,
quantumuis neq; renati sunt neq; conuersi,
nec verâ Dei agnitione illuminati. De quo
etiam hominum genere cum primis illud

B S

Apostoli

Apostoli prius allegatum sonat: semper discentes, nunquam autem (ob præceptas fanaticas opiniones) ad intelligentiam veritatis pervenire valentes, 2. Tim. 3. Imò reperiuntur (quod nemo sanus inficias ibit) inter falsorum dogmatum patronos, qui etiam integros scribunt commentarios super libros Biblicos, non eos duntaxat, in quibus aliquam ansam habere queant defendendi dogmatis sui, sed cæteros quoq;: & in his explicandis sæpè operam non contemnendam collocant. Solet enim Deus etiam in non renatos conferre dona quædam. Ad hanc autem commentationem & librorum Biblicorum enarrationem opus esse studio discendi & cognoscendi (quomodo hic vel ille locus, hæc vel illa sententia, hæc vel illa prophetia, parabola, historia, &c. intelligenda sit) tam certum est, ut negari sine ingenti absurditate nequeat, quantumvis hoc illorum studium (ob hæresin qua infecti sunt) omni ad conversionem fructu destituatur. Quid, quòd reperiuntur concionatores vitâ & moribus improbi, ideoq; in renatorum censu non habendi, qui studio

accurato

DE LIBERO ARBITRIO. 27

accurato legunt in Biblijs, suasq; habent eam
ad rem destinatas horas: quidni ut doctri-
nam verbi patefacti cum discant ipsi, tum
suis auditoribus ad discendum proponant?
Quomodo enim docere possent alios, quod
non ipsi prius addidicissent? Et quod de Do-
ctoribus verbi dictum est, idem in auditori-
bus haud obscure cernitur. Professor aliquis
Theologiae, qui purum Dei verbum profite-
tur, habet in caetu discipulorum interdum iu-
venes profanae mentis, vitae illaudatae, quin
manifeste impios; qui ipsi tamen lectiones sa-
cras (in quibus verbum Dei non minus atq;
in concionibus traditur Ecclesiasticis) cum
studio audiunt, repetunt, meditantur, quin
etiam de ijs disputant, hoc omnino sine, ut
discant & in cognitione sacrae Theologiae pro-
ficient. Vnde haud raro usu venit, ut tales
alias profani iuvenes (quod cognitionem at-
tinet, quae litera constat non spiritu) plus pro-
ficient, quam pii iuvenes, sed minus ingenio-
si. Est enim hic profectus non ex sanctifican-
tibus Spiritus sancti donis, sed ex communi-
bus, quae etiam non renatis obtingere possunt.

EX

Ex his ergo iam commemoratis apparet euidenter, hominibus extra gratiam constitutis non omne studium discendi negari posse, cum videamus, ipsam scripturam cursum quendam eis tribuere externum; quod & dictis & exemplis scripturae, & nunc experientiae testimonijs liquidissime demonstratum est.

An non studium externum tribuens inconuersis hominibus, συνέργεια confirmas?

Συνέργεια voluntatis seu arbitrij humani libertas tantisper non asseritur, quantisper non confunduntur limites externae paedagogiae, & interna gratiae seu spiritualis operationis, id est, quamdiu non commiscetur externus ille cursus (cuiusmodi Herodi, Paulo Sergio, Iudæis, ante vel extra regenerationis gratiam tribuitur) & deinde donum spirituale, salutaris cognitio, fides, &c. cuius initium, incrementum, & ad finem usq; conseruatio Spiritui sancto in solidum fertur acceptum; ideoq; solis his adscribitur, qui virtute Spiritus sancti regenerati sunt.

Rectè

DE LIBERO ARBITRIO. 29

Recté ne dicitur, Deum operari velle
conuersionem & fidem, si audiat ho-
mo verbum Dei cum quodam studio?
Sic enim videtur operatio Dei suspen-
di à conditione nostræ in audi-
endo diligentia?

*Hæc questio tum expediatur quàm re-
ctissime, si ponderetur, velit ne Deus in ho-
minibus conuersionem & fidem operari, siue
audiant verbum, siue non audiant? atq; sic
absq; ulla hypothese, determinatione, vel et-
iam, si sic appellare velis, conditione? Nos cum
Apostolo Paulo negatiuam tuemur, & con-
stanter asseueramus, si homo inconuersus
verbum Dei audire nolit, NON illum con-
uersum iri. Fides enim ex auditu est, audi-
tus autem per verbum Dei, Rom. 10. Ergò si
Dei ordinariam actionem spectes, non aliter,
quàm sub hac hypothese operatur in homini-
bus conuersionem & fidem, si videlicet ver-
bum Dei audiant ac meditentur. Hic enim
est ordo ab ipso Deo institutus: Sic ei placuit,
vt per prædicationem esset efficax, per prædi-
cationem*

cationem autem, non si negligatur ea aut
 contemnatur, sed si auditu percipiatur &
 meditatione versetur. Quod & Christus in
 sua parabola de auditoribus verbi testatur.
 In quam sententiam & Concordia Liber
 hanc hypothesin dilucidè expressit, quando de
 nondum conuersorum hominum conuersio-
 ne, quomodo hæc efficiatur, differens ait: Hoc
 „ Dei verbum homo, ETIAM NONDUM
 „ AD DEVM CONVERSVS, NEC
 „ RENATVS, externis auribus audire, aut
 „ legere potest. In eiusmodi enim externis re-
 „ bus, ut suprà dictum est, homo adhuc, etiam
 „ post lapsum, aliquo modo liberum arbitrium
 „ habet, ut ad cætus publicos Ecclesiasticos acce-
 „ dere, verbum Dei audire, vel non audire pos-
 „ sit.

„ Per hoc medium seu instrumentum, præ-
 „ dicationem nimirum, & auditionem verbi,
 „ Deus operatur: emollit corda nostra, trahitq;
 „ hominem: ut ex concionibus legis & peccata
 „ sua, & iram Dei agnoscat, & veros terrores,
 „ atq; contritionem in corde suo sentiat. Et per
 „ annunciationem ac meditationem Euan-
 „ gely,

DE LIBERO ARBITRIO. 31

gely, de gratuita & clementissima peccato-
rum remissione in Christo, scintillula fidei in
corde ipsius accenditur, quæ remissionem
peccatorum propter Christum amplectitur,
& sese promissione Euangelij consolatur: &
hoc modo Spiritus Sanctus, qui hæc omnia
operatur, in cor mittitur.

Etsi autem utrunq, tum concionatoris
plantare & rigare, tum auditoris currere &
velle, frustra omnino essent, neq, conuersio
sequeretur, nisi Spiritus sancti virtus &
operatio accederet: qui per verbum prædica-
tum & auditum corda illuminat & conuer-
tit, ut homines verbo credere & assentiri
possint: tamen neq, concionator neq, auditor
de hac Spiritus sancti gratiâ & operatione
dubitare debent. Quin potius uterq, certò
sciat, si verbum Dei, iuxta mandatum &
voluntatem Dei purè & sincerè prædicatum
fuerit, & HOMINES DILIGEN-
TER ET SERIO AVSCULTAVE-
RINT, illudq, meditati fuerint, certissimè
Dominum gratiâ suâ præsentem adesse, &
largiri ea, ut paulò antè dictum est, quæ homo

Nota
hanc hy-
potesin:
Si verbum
Dei homi-
nes dili-
genter &
serio au-
scultaue-
runt.

aliàs

*aliàs suis proprijs viribus neq; accipere, neq;
dare potest.*

Quantum intelligo, distinguis inter pē-
dagogiā externā, ad quam & studium il-
lud siue cursum refers, de quo haecenus
dictum: spiritualia verò dona, nempe
internam deuotionem mentis in au-
scultatione diuini verbi, assensum, sal-
uificam notitiam, fidem, &c. planè cen-
ses esse non nostrarum virium,
sed Dei opus?

*Ita censeo, secundum dicta in superiori-
bus magno numero producta, quæ huc repe-
to cum solenni testificatione, quòd in his ho-
rùmue efficientiâ, initio, progressu, conserva-
tione usq; ad finem, &c. nihil ex sese valeat
humani arbitrij seu voluntas seu facultas:
sed hic in solidum regnet unius Dei opera-
tio planè gratuita, reiectis omnibus veterum
& recentium Pelagianorum & Semipela-
gianorum, Pontificiorum, Iesuitarum, Syner-
gistarum maleferiatis opinionibus, quibus
& Dei gratia euacuatur, & humanis viri-
bus*

DE LIBERO ARBITRIO. 33

bus vel tantillum in spiritualibus adscribitur.

Sunt autem quædam Scripturæ dictæ, quæ arbitrij humani viribus suffragari videntur: & primò quidem illud Gen. 4. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quod cum tribuatur Caini impij viribus, non erat utiq; συν-
ἐργεια voluntati humanæ
deroganda?

Primò tenendum, dehortari ibi Dominum à fratricidij scelere Cainum, qui tale quid animo voluebat. Proinde loquitur sermo Domini de facto externo, à quo certum est homines, etiam merè Ethnicos (nisi singularis impulsus Satanae accedat) sibi temperare posse. Quid autem hoc ad συν-ἐργειαν humanæ voluntatis in spiritualibus asserendam? Adhæc si maximè ultra subiectam materiam extendatur locus Genesæ, ad Spiritualia usq; Synergistarum tamen opinio ne sic quidem rectè hinc concluditur. Habet enim allegata sententia vim præcepti: à præcepto

C cepto

cepto autem ad posse, in Theologia non valet consequentia. Nam & totius legis suae obedientiam omnibus numeris atq; modis perfectam praecipit Dominus, nec tamen hinc conficitur, eius implenda facultatem in nostris residere viribus.

Quando ergo non de actionibus huiusmodi externis, sed de spiritualibus agens Dominus, inquit: Conuertimini, agite poenitentiam, credite Euangelio, &c. non censes recte hinc inferri, quod haec in arbitrio humanae voluntatis sita sint?

Minimè verò. Cùm enim ista sententia totum conuersionis opus complexa sint; hoc pacto conuersio tota viribus humanis adscribenda foret, citra, imò contra scripturae sacrae determinationem, quae nostrae conuersionis opus omne DEO in solidum attribuit, secundum illud Ierem. 31. Conuerte me Domine & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim tu conuertisti me, ego poenitentiam. Et Ioh. 6. Nemo venit ad me,

DE LIBERO ARBITRIO. 35

ad me, nisi pater traxerit eum. Proinde cum
inquit Spiritus sanctus: conuertimini, credi-
te, &c. non exprimit, quid homines suis reli-
cti viribus ex se prestare valeant, sed quid
Deo sub debitratione exsoluere teneantur.
Et repetenda huc est regula supra memorata,
à precepto ad posse non valere consequen-
tiam.

Ita verò commonefactiones istæ erunt
de nihilo, si hominibus spiritualiter
emortuis proponantur; haud aliter ac
si lapidi vel trunco talia præcipiantur,
aut si homo, corporaliter mortuus,
moneatur, vt cui-
gilet?

Nequaquam sunt ociosæ tales admonitio-
nes, cum diuini Spiritus adiunctam virtu-
tem habeant, & sic sint organa, quibus Spi-
ritus S. homines è peccatorum somno poten-
ter exuscitat, vt & quid Deus requirat, in-
telligere, & cum id sibi deesse videant, à Deo
precari incipiant. Quemadmodum ergò cum
Christus in Euangelio ait ad Iairi filiam;
C 2 Puella

Puella surge, non rectè ex hoc Saluatoris mandato infertur, quòd suis viribus è naturali morte euigilare queat; sed hac vox, adiunctam habens Christi virtutem, resuscitationis puella velut organon quoddam est, ita quoq; cum dicit scriptura, age pœnitentiam, crede Euangelio, expergiscere qui dormis, & surge à mortuis, Eph. 5. non indicat quid homo possit; sed quid Deus efficacibus illis adhortationibus operari in homine cum possit, tum velit, nisi contumaciter operationi eius homo se opponat.

Eandem ergo per omnia rationem esse putas, hominum nondum renatorum ad conuersionem; quæ est hominum naturaliter mortuorum ad sui viuificationem?

Si naturales utring; vires expendantur; & ad opus utring; conferantur: par omnino est ratio; ita ut homo non renatus tam non possit se suis viribus ad spirituale bonum conuertere, aut conuersionem in seipso efficere, quàm neq; naturaliter mortui sua quadam facultate

DE LIBERO ARBITRIO. 37

facultate sese ex morte ad vitam reuocare possunt. In eo autem est differentia, quòd hac vita functi in utramq; partem arbitrio omni carent, vel coöperandi Deo, veleidem reluctandi: atq; adeo simpliciter arbitrio agentis DEI sunt expositi. At homines non renati arbitrium habent, gratia cuius Deo eiusq; voluntati sese opponere possunt, idq; non tantum naturali illa repugnantia carnis, cuius $\phi\acute{\rho}\nu\eta\mu\alpha$ est inimicitia aduersus Deum, Rom. 8. sed sæpe actuali pertinacia hostiliter obluçantur, ut de Pharaone scriptura perhibet. Sed & in hoc differunt, quòd non renatus homo arbitrium habet in externa regenda locomotiva, ut templum ingredi & audire verbum possit, vel non audire, quæ pedagogia externa, licet absq; Dei benedictione nihil quicquam ad fidei & salutis effectionem conferat; tamen ijs qui audiunt, neq; Spiritui sancto contumaciter se opponunt, euadit per Dei gratiam salutaris, ut per auditum verbum Deus sua solius virtute operetur id, quod ipsi nunquam in sese operari quauerant.

C 3

Quoniam

Quoniam Diuus Lutherus hominem
nondum conuersum trunco & lapidi
assimilat, num hoc simpliciter vel
secundum quid est intelli-
gendum?

*Non simpliciter & absolutè, sed secun-
dum quid & determinatè, respectu scilicet
aduentantis gratiae (vbi loquuntur) planè, ut
nunc de naturaliter mortuis est explicatum.
Aliàs Lutherus ipse differentiam inter lapi-
dem & hominem nondum conuersum haud
inuitus agnoscit & concedit.*

*Quamuis enim in spiritualibus ac diuinis
homo, extra gratiam constitutus, nec intelli-
git, nec vult ea, quae sunt Spiritus, tamen præ
lapide aut trunco, remota ei tribuitur capa-
citas, quae trunco lapidiuè adscribi minimè
potest. Capacitatem verò dicimus non eam,
de qua scholastici nugantur, qua sese suis vi-
ribus ad gratiam applicare valeat, absit; sed
remotam illam ratione essentialis potentiae
consideratam, quatenus homo, quamlibet
inconuersus, praeditus est mente & volunta-
tate,*

DE LIBERO ARBITRIO. 39

*tate, atq; sic in eo deprehenditur subiectum
præexistēs, in quo diuini Spiritus virtute illu-
minatio & conuersio perfici queat; cūm qui-
dem in lapide aut trunco nec mens sit nec vo-
luntas, & proinde nullum adhuc subiectum,
quod vel illuminationis vel conuersionis vllō
pacto queat esse capax, adeò vt si illuminatus
& conuertendus esset lapis, prius in illo mens
& voluntas de nouo creanda foret.*

Conuertitur né homo repugnās, quan-
do quidem ait Christus: nemo venit
ad me, nisi pater traxerit illum?

Ioh. 6.

*Trahit DEVS, sed per verbum ceurete
suum & verriculum, Matth. 13. secundum
illud Ioh. 6. Omnis qui audiuit à patre, &
didicit; is venit ad me. Neq; hīc fingendus
est tractus violentus, quasi trahantur &
ad Christum veniant ij etiam, qui vocanti
DEO contumaciter obsistere perseuerant.
Tales enim quia repellendo sermonem sese
indignos constituunt vita æterna, iuste dese-
runtur à Deo, neq; conuertuntur, Actor. 13.*

C 4 Sed

Sed neq; è conuerso hic est sententiæ Saluatoris sensus, quòd trahat DEVS suapte sponte volentem. Quemadmodum quidam Synergiæ patroni dictum hoc corruerunt, abusi minus dextra expositione quorundam patrum, dicentium: trahit Deus, sed volentem trahit. Reiectis igitur utring; his duobus extremis falsis, in medio relinquitur intelligentia vera, quòd Deus mediante prædicatione & auditu verbi, per sui Spiritus virtutem, voluntatem hominis flectat, & ex nolente ac repugnante, volentem, consentientem & obedientem efficiat.

Imò videtur innuere scriptura, quòd obedientia sua homo Spiritus sancti gratiam atq; donum anteuertat. Eo enim accommodant liberi arbitrij patroni illud Petri, Act. 5. Dedit Deus Spiritum sanctum obedientibus ipsi?

Verborum Petri sententia non est, quòd obedire Deo valeamus, antequam Spiritus sancti gratia donemur. Etenim quòd homo
Deo

DE LIBERO ARBITRIO. 41

Deo obsequitur, id ipsum est Spiritus sancti
opus atq; donum: qui nisi sua cœlesti gratia
præcurrens voluntatem hominis ad obse-
quium flectat, adeo illa Deo non obtemperat,
ut omne illius quod proueniat sit maneatq; Deo ini-
micum, Rom. 8. Concionatur autem Aposto-
lus de dono miraculoso visibiliter illabentis
super Ecclesiæ primitiuae discipulos Spiritus
sancti, ut linguis loquerentur nouis & pra-
phetarent. Hæc illustris & visibilis effusio
diuini Spiritus non obtingebat hominibus à
Christiana fide ac pietate alienis, sed his, qui
verbo obedierant, nimirum per verbum tra-
ducti in fidem & obsequium doctrinae Euan-
gelicæ. Quodq; hæc sit mens diui Petri, ver-
borum eius arguit coherentia atq; scopus.
Prouocat enim coram principibus Sacerdo-
tum ad visibilia illa Spiritus sancti dona,
tanquam ad testimonium doctrinae à se præ-
dicatæ, dicens; Nos sumus testes horum qua
dicimus, insuper & Spiritus sanctus,
quem dedit Deus obedienti-
bus ipsi.

C 5 Aduer.

Aduersus dictum Christi (quantò magis dabit pater meus Spiritum sanctum petentibus illum, Lucae. ii.) non militat hæc exceptio: cùm non agat de donis miraculosis, & nihilominus innuat, posse eos, qui Spiritum sanctum nondum habent, suis illum precibus à patre impetrare?

Nequaquam hic est verborum Christi sensus: quandoquidem ne quidem possumus Iesum appellare Dominum, nisi per Spiritum S. I. Cor. 12. & quomodo rectè precari quis valeat ante acceptum Spiritum illum, qui ob hoc ipsum Spiritus gratia & precum dicitur, Zachar. 12. quòd nos orare doceat, Rom. 8. Quomodo etiam grata Deo esse queat precatio, sine Spiritu effusa? cùm tamen affirmet Christus, patrem non nisi in Spiritu & veritate velle adorari, Ioh. 4. Hæc euidenter arguunt, nequaquam de prima scintilla Spiritus S. sonare verba Domini, quasi primum illud initium fidei queamus anteuertere precibus à

DE LIBERO ARBITRIO. 43.

*bus à naturalium virium arbitrio profectis,
& absq; Spiritu profusis. Sed omnino de ac-
cepti iam Spiritus sancti augmento, & dono-
rum eius amplificatione dictum illud acci-
piatur necesse est. Loquitur enim ibi cum
Apostolis, qui Spiritu sancto ad sanctificatio-
nem iam donati erant, in dies autem incre-
menta donorum eius petere iubentur.*

Deuteron. 30. inquit Moses: præce-
ptum, quod præcipio tibi hodie, non
est supra te, sed in ore & in corde tuo.

Ergo non est supra vires nostras po-
situm, obedire DEO & præ-
ceptis eius?

*De quo præcepto seu doctrina loquatur ibi
Moses, legisné seorsim, an verò de doctrina
Israelitis proposita respectu principalioris
partis, Evangelij scilicet, considerata, Paulus
nobis indubius interpretes est. Is Roman. 10,
hanc $\tau\epsilon\epsilon\lambda\epsilon\gamma\omega\tau\omega\iota\upsilon\upsilon$ Mosaica concionis his enar-
rat verbis: quæ ex fide est iustitia, ea sic loqui-
tur: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in
cælum? hoc est Christum ex alto deducere;*

aus

*aut quis descendet in abyssum? Hoc est Chri-
 stum ex mortuis reducere. Sed quid dicit?
 Prope te est verbum in ore tuo & in corde
 tuo. Hoc est verbum fidei, quod predicamus;
 nempe si confessus fueris ore tuo Dominum
 Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus
 illum resuscitavit à mortuis, saluus eris. Te-
 ste igitur Apostolo Paulo differit Moses in al-
 legata sententia de precepto, seu verbo & do-
 ctrina Euangelij, quæ fidei iustitiam profite-
 tur. Nam & hanc doctrinæ cælestis partem
 Moses Israëlitis tradit, partim in claris pro-
 missionibus, partim in sacrificiorum typis &
 umbris. Hanc doctrinam affirmat eis non
 esse ita impossibilē, ut aliàs doctrina legis est,
 quæ à nemine mortalium seruari, aut perfe-
 cto obsequio adimpleri potest; sed esse obedi-
 entiam Evangelicæ doctrinæ in hoc et-
 iam seculo nobis obuiam &
 perfacilem.*

Ita

DE LIBERO ARBITRIO. 45

Ita verò adhuc arbitrij humani stabi-
lietur libertas, quòd ex suis viribus do-
ctrinam Euangelij capere eiq; as-
sensum præbere va-
leat?

*Minimè omnium hoc vult Apostolus.
Cùm enim Euangelium de Christo sit myste-
rium à cunctis seculis absconditum in DEO: Ephes. 3.
certè Moses & Paulus asserentes illud esse
propè in ore & in corde nostro, non adscri-
bunt nostris viribus istam facilitatem &
promptitudinem vel credendi vel obsequendi
Euangelio, sed à Deo unicè eam pendere con-
firmat, quod verbis paulò precedentibus Moy-
ses ostendit, cùm Deo, circumcidenti corda,
hanc obsequij alacritatem fert acceptam: Do-
minus Deus tuus circumcidet cor tuum, &
cor seminis tui, &c. Planè ut Jerem. 31. de
hac lege novi pacti, id est, de doctrina Euan-
gelij Dominus concionatur, & facultatem
assentiendi & obediendi illi, sua solius opera-
tioni reseruat, inquiens; hoc erit pactum
meum, quod feriam cum domo Israël post dies
hos.*

hos. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corda eorum scribam eam. *Que promissio locupletissime testatur, hanc facilitatem credendi obediendiq; doctrinae Evangelicae ad sublimius (quàm sit arbitrij libertas) principium, puta DEVM, unice referendam esse.*

Obijcitur quoque sententia Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & NOLVISTI. Quoniam ergò Iudæi accusantur, quòd credere noluerint; sequi videtur, credendi facultatem illam aliquo modo ipsismet attribui?

Duplex est velle, & huic oppositum duplex nolle; cuius in hac quidem doctrina Spiritus sanctus meminit. Prius est Pedagogicum, quod occupatur circa externam ministerij obedientiam. Atq; hoc etiamnum in nostrarum virium potestate situm est. Potest enim homo suarum etiam virium arbitrio ad ea se conferre loca, quibus vox sonat diuini verbi.

DE LIBERO ARBITRIO. 47

verbi, potest sermonem illum vitæ aternæ
vel audire, vel aures obstruere. Porro alte-
rum velle est velle internum, descriptum
obedientia fidei & assensione cordis. Et hoc
quidem velle internum soli conuersæ & re-
natæ voluntati competit, & à sola superna
virtute nobis infunditur: secundum illud
Apostoli; Deus est, qui dat velle & perficere,
Phil. 2. Dicitum ergò Saluatoris, Matth. 23.
(& tu noluisti) respicit prius illud externum
velle. Accusantur enim Iudæi, quòd cum
Christus illos vellet colligere verbi ministe-
rio, & sub alarum suarum umbratutos præsta-
re aduersus imminentem iram Dei: ipsi vicif-
sim verbum illud, ex quo per Domini gra-
tiam conuerti, & impendentibus malis eripi
potuerant, ne audire quidem voluerint, sed
Christum unà cum Euangelio illius simplici-
ter auersati sint. Ita non simpliciter accu-
santur, quòd credere noluerint; id quod ex se
ne quidem poterant velle: Sed hoc est illud
accusationis instituta κεφάλαιον, quòd ver-
bum Euangelij ne quidem audire sunt digna-
ti, per cuius auditum & auscultationem ad in-
ternum

ternum velle seu assensum fidei, Deo auditui illorum benedicente, peruenturi erant, si non præfractè Spiritui sancto & verbo Evangelij restitissent.

Iohannis primo dicitur: Dedit eis potestatem filios DEI fieri, nimirum his, qui credidissent in nomen illius. Ergo antequam sumus filij DEI, habemus potestatem filios DEI fieri?

Multipliciter falluntur, qui in his Evangelista verbis vllum querunt præsidium libertati arbitrij humani. Primò dic, quæso, mihi, de cuiusmodi loquatur ibi Iohannes hominibus? Nimirum ut textus habet de recipientibus Christum, de credentibus in nomen eius. Nihil ergò quicquam agit hoc dicto de non renatis hominibus, quos in præcedentibus Tenebras appellans, ipso titulo prosternit falsò iactatam humanarum virium libertatem. Ab istis veluti per antithesin transit ad fideles, atq; his potestatem quidem hanc (filios Dei fieri) adscribit, non autem ut ab illo

DE LIBERO ARBITRIO. 49

ab illorum arbitrio profectam, sed ut à Christo eis donatam. Inquit enim: DEDIT eis potestatem, &c. Et ut manifestò constaret, nihil prorsus vel laudis vel operationis assignari libero arbitrio: Iohannes è vestigio uniuersum illud beneficium in solum regenerantem Deum confert, subiiciens: Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt.

Quæ verò tandem est mens Euangelistæ, præsertim cùm non dicat, dedit eis potestatem, vt sint filij Dei, sed vt fiant?

Non debemus tanto Apostolo hanc insignem absurditatem affingere, quasi statuat, eos, qui credunt in nomen Christi, nondum esse filios Dei, sed paulò post demum futuros. Dicit enim idem hic Euangelista; nunc filij DEI sumus, 1. Ioh. 3. Et Paulus, Gal. 3. fidem cum dono filiationis ita connectit, vt Galatas DEI filios esse scribat, eò quòd crediderint Christo Iesu. Tenendum ergò, quòd

D fides

fides & beneficium videlicet tempore quidem simul sunt, ordine tamen habent se ut prius & posterius. Fides enim Iesu Christi, seu potius Christus fide apprehensus, causa est nostrae in filios adoptionis: vicissim haec illius quidam effectus est. Ad quem ordinem causarum & effectuum respiciens Iohannes, ait; dedisse illum his, qui credunt, potestatem filios DEI fieri.

Præterea complectitur Evangelista voce (fieri) non solummodo beneficium in hoc seculo inchoatum, sed totum illud perfectum & consummatum bonum, quod credentibus, ut DEI filijs, in verbo Evangelij promissum est, videlicet illustrem revelationem filiorum DEI, in nouissimo die, coniunctam cum perpetua solidaq; possessione hereditatis in Christo abscondita, & tunc in altero seculo manifestanda, ubi apparebit quid futuri simus, quod in hac vita nondum apparuit, secundum illud, 1. Ioan. 3. Filioli NUNC filij DEI sumus, & nondum apparuit id, quod FUTURI sumus.

Zachariæ

DE LIBERO ARBITRIO. SI

Zachariae i. videtur Dominus conuer-
sionis opus inter se & nos quodammo-
do partiri, dicens: Conuertimini ad
me, & conuertar ad vos. Vnde sequi
videtur, quòd DEVS tum nos con-
uertat, quando ipsi nos conuerti-
mus ad DEVM?

*Duo sunt membra dicti huius, quorum
utrumq; suam explicationem requirit. Prius
continetur in verbo mandati; Conuerti-
mini ad me. Et eandem habet sententiam
quam & cetera commonefactiones Spiritus
sancti, de quibus supra dictum est. Posterius
membrum continetur in verbo promissio-
nis: & ego conuertar ad vos. Id non potest
eò torqueri, quasi Dominus indicet, si Iudaei
proprijs viribus se nitantur conuertere ad
Dominum, & quoddam quasi initium fa-
ciant, tunc se velle sua illis gratia coöperari,
& conuersionem ab illis quodammodo in-
choatam ad umbilicum perducere. Hæc enim
interpretatio manifestè repugnat unanimit
sententiæ Prophetarum & Apostolorum, in-*

primis celebri illi dicto, Ierem. 31. *Conuerte me, Domine, & conuertar, postquam enim tu conuertisti me, egi pœnitentiam. Quapropter expositione modo memorata penitus reiecta, eam, qua ex ipso textu & verborum scopo surgit, amplectimur, qua promittit Dominus Iudæis, si vero corde (scilicet per auditum verbum Prophetarum à Spiritu sancto moti) se conuertant ad Dominum, tum velle se vicissim benignam suam faciem ad illos conuere, ablatisq; pœnis eos omnis generis beneficijs ornare & cumulare. Itaq; phrasis hæc (& ego conuertar ad vos) respicit conuersionis per Spiritum sanctum factæ letum fructum, auersionem calamitatum, & diuinae benignitatis declarationem in exhibitione beneficiorum, qua se verè illis propitium esse redditum re ipsa testificaturus sit.*



Poste-

DE LIBERO ARBITRIO. 53

Posteriore ad Corinthios Epistola capite septimo scribit Apostolus: Mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis, & Spiritus. Et 2. Tim. 2. Si quis expurgauerit seipsum, erit vas in honorem sanctificatum. Potest ergo homo ipse se mundare, & expurgare ab errorum & peccatorum sordibus?

His scripturae locis aduersarij ad arbitrij humani ουέπρυαυ asserendam uti nequeunt, nisi totum simul nostrae emundationis opus, proprijs viribus acceptum ferre velint, quò & Christo, qui solus sanguine suo nos emundat in articulo Iustificationis, & Spiritui Sancto, qui sua virtute à reliquijs peccatorum nos quotidie emundat, sua adimeretur laus atq; gloria.

Observandum autem est, quibus cum hominibus loquatur Apostolus, nempe cum Corinthijs iam regeneratis, & in statu nouae obedientiae constitutis, itemq; in altero loco Epistola ad Timotheum, itidem de renatis

D 3 agit.

agit. Et certè renatis hominibus hanc omnino potestatem adscribimus, quòd à reliquijs peccatorum & huiusmodi inquinamentis se indies emundent. Queritur autem, unde hanc habeant potestatem? ex se, an verò aliunde? Non ex se utiq³, sed ex eo, cuius virtute ad novam illam obedientiam obsequiaq³ DEI sunt renouati.

Paulus historiam suæ conuersionis coram Agrippa rege commemorans, affirmat, se non fuisse inobedientem cœlesti visioni. Quo videtur innuere, cum vocaretur ad pœnitentiam, se sua voluntate confestim obtemperasse voluntati vocantis Christi. Proinde non ita planè mortua videtur in diuinis nostra voluntas?

Fit in hoc argumento confusio disparatorum, & miscentur distincta narrationis Apostolicæ membra. Paulus enim distinctè refert, primò quidem, quomodo sine omni sua coöperatione ex furore persecutionis Ecclesia

DE LIBERO ARBITRIO. 55

clesiae potenter à DEO retractus & con-
uersus sit, ubi ne tantillum quidem suis ad-
scribit viribus, sed omnia soli misericordiae
& efficaci operationi vocantis Christi. In
sequentibus autem, cum ait: Vnde non fui in-
obediens caelesti visioni, differit de obedi-
entia conuersionem insecuta, & quidem specia-
tim ratione Apostolici muneris intellecta,
qua iuxta mandatum acceptum praedicauit
Euangelium in Damasco & alibi. Sic enim
sonant ipsius verba: Non fui inobediens
caelesti visioni, sed his, qui sunt Da-
masci, primum, & Hierosolymis, Deinde &
gentibus annuntiabam, ut poenitentiam
agerent, &c. Contextus igitur arguit, ver-
bis quae à Pontificijs & Synergistis allegan-
tur, non obedientiam illam primae conuersio-
nis designari, sed obedientiam in obeundo sibi
credito munere praedicationis Euangelicae,
quam obedientiam fructum quendam fuisse
conuersionis iam antegressae ipsa testatur,
& historiae ordo liquidissime
confirmat.



D 4 Eccle-

Ecclesiastici 15. dicitur: Reliquit DEVS
hominem in manu consilij sui, propo-
suit illi vitam & mortem, & vtrumcun-
que placuerit, dabit ei. Ergò superest
etiam in negotio salutis aliqua hu-
mani arbitrij li-
bertas?

*Dictum hoc referendum est ad statum
integrum hominis initio conditi, ante la-
psum. Ita namq; habent verba: Deus creauit
hominem ab initio, eumq; reliquit in manu
consilij sui, &c. Alia questio est de homine
post lapsum in statu corruptionis & peccati,
vbi hac libertas ad bonum spirituale penitus
euerfa, & iam natura hominis corrupti ante
reparationem eius tantummodò
mala est, Gen. 6.*

os so



Allega-

DE LIBERO ARBITRIO. 57

Allegatur etiam dictum Iohannis 7. Si quis volet voluntati patris obtemperare, cognoscat de doctrina mea, vtrum ex DEO sit, an ego à meipso loquar. Potest ergo homo etiam nondum cognoscens doctrinam Christi, atq; sic nondum conuersus aut renatus, accommodare se voluntati patris?

Non ibi legitur, vel quòd proprijs naturæ viribus homo possit velle obsecundare patris voluntati, vel etiam de doctrina Christi iudicium facere. Sic enim tota conuersio à carnalibus viribus naturæ nondum regenerata suspenderetur. Siquidem conuersio tota in obsequio DEI & recta cognitione doctrinæ Christi vertitur. Simplicissima autem sententia est hæc, si quis animo secum statuit, quòd nolit suum de doctrina Christi iudicium precipitare, aut ex affectu de ea pronunciare, vt eius temporis Pharisei factitabant, sed quòd stare velit sententia DEI patris, ita vt si huius voluntati conformem de-
D s prehen-

prehendat doctrinam Christi; velit ei absq̄
 cunctatione vltiori præbere assensum; ta-
 lis homo verè cognoscet, doctrinam meam
 non à me nuper excogitatam, sed è sicut eter-
 ni patris celitus allatam esse. Est q̄ obserua-
 tu dignum, cuiusmodi hominibus Saluator
 nuper ad docendum progressus suam doctri-
 nam proposuerit dyudicandam, videlicet
 non Ethnicis, non DEI veri penitus igna-
 ris, sed ijs, qui erant ex populo DEI, quorum
 pars bona timebat & colebat DEVM.
 Cuiusmodi erat Nathanaël, & reliqui, qui
 ex miraculis alijsq̄ indubitatis documentis
 factis de doctrina Christi iudicio, discipuli
 ipsius facti sunt. Proponit ergo Christus Iu-
 daeis vniuersis doctrinam suam, ut in eam
 inquirant, sitne ex DEO? Ibi verò multi
 damnabant illam temerè, partim ex præiu-
 dicio, partim quòd niterentur autoritate do-
 ctorum populi, partim quòd propriae suae au-
 toritati metuerent, sicut Pharisei & Scri-
 bae, qui simpliciter pronuntiabant doctri-
 nam eius ex DEO non esse. Ceteri verò
 pij de hoc nouo doctore & doctrina eius iudi-
 cia sua

cia sua non ita precipitabant, nec se præposte-
 ris aliorum iudicijs moueri patiebantur, sed
 ad solum Deum respicientes in timore & in-
 uocatione eius piè in illam inquirebant. Hi
 ex ipso genere doctrinae, & adiunctis mira-
 culis, alijsq; certitudinis testimonijs, recto iu-
 dicio iudicabant, quòd à Deo uenerit Magi-
 ster. Horum studium laudat Saluator, &
 ueram hanc rationem esse ostendit ad do-
 ctrinae suae cognitionem perueniendi, nec ta-
 men uel obedientiam erga uoluntatem pa-
 tris, nec rectam inquisitionem & cognitio-
 nem doctrinae Euangelicae hominibus adscri-
 bit merè carnalibus, sed **DEVM** timentibus:
 sicut eodem fermè modo suos discipulos
 iubet inquirere in miracula sua, ut hinc
 aeternam Deitatem operantis ista liqui-
 dius agnoscant, Ioh. 14.

•••••



Lucæ

Lucæ 8. monet Dominus; videte, quomodo audiatis. Ergò non tantùm nostrarum virium est audire, sed etiam audire rectè & cum quodam assensu: hoc enim particula (QVOMODO) subindicat?

Alloquitur Dominus Iesus Apostolos, & nonnullos alios, quibus dixerat modo; Vobis datum est, nosse mysteria regni cælorum. Imperitè igitur hoc ad quosuis promiscuè torquetur. Adhac illud (quomodo) varia complectitur, quorum aliqua, præsertim quæ negativè efferuntur, sunt etiam in non renatorum arbitrio sita. Puta quòd audiendum est verbum non affectu contradicendi, non proposito blasphemandi vel calumniandi. Possunt verò etiam haud dum renati sic audire verbum, ut ei non præfractè contradicant, nec calumnientur aut blasphement illud. Deinde verò complectitur illud (Quomodo) nonnulla itidem in nostris viribus posita, quæ affirmatè enunciantur. Velut audire verbum studio inquirendi in illud, item cogitatio-

DE LIBERO ARBITRIO. 61

gitationem aliquam siue meditationem de
eo suscipere. Tertio autem continentur sub eo
quaedam, quae non nisi renatis competunt, vi-
delicet cum assensu cordis & obedientia vo-
luntatis audire verbum. Ita sententia haec:
Videte, quomodo audiatis, certo quodam mo-
do nunc indicato etiam non regeneratos atti-
net, certo similiter modo solos renatos, qui
ipsi quoque indigent huius admonitionis sti-
mulo. Quamuis enim iam regenerati sunt;
tamen studium audiendi etiam in pijs non-
nunquam ita languet, ut ad maiorem diligen-
tiam talibus exhortationibus incitandi sint,
ne paulatim negligendo verbum, tandem fi-
des, quae ex verbo nata est, in illorum cordi-
bus extinguatur, haud aliter ac lucerna in
lampade extinguitur, cum non fouetur sub-
inde affuso oleo, Matth. 25.

Affertur etiam illud patris pueri luna-
tici; Credo Domine; sed tu succur-
re meae incredulitati?

Marci 9.

Utrum ex hoc dicto suum propositum liquido
conclu-

concludant Aduersarij: probandum eis incumbit, bonum illud principium ac scintillam fidei ex proprijs naturæ viribus extitisse, non ex diuini Spiritus operatione. Hoc verò asserere absurdum, confirmare prorsum à DEVOTOR est. Dicit pater lunatici: credo, & ex hac fide quantumuis languida Iesum fidei corde appellat Dominum, quod non nisi per Spiritum sanctum fieri Paulus grauisimus testis est, 1. Cor. 12. Hoc ita stabilito, ruit totum argumentum Papistarum & Synergistarum. Fuit enim hic pater pueri DEMONIACI non à fide planè alienus, etiam antehac, quippe in populo DEI educatus & institutus. Audiuit insuper de Iesu Nazareno, quòd diuina potestate profligaret morbos aliàs incurabiles, ipsumq; Satanam ex obsessis eijceret ac proturbaret. Ex quo auditu & fama de signis Iesu sparsa hanc licet exiguam fidem operatione Spiritus sancti concepit. Ex hac fide etiam venit ad Christum, & succurritur residuæ incredulitati, quando id initium, quod luce diuini Spiritus in eo accensum fuerat, nunc accedente insigni miraculo confirma-

DE LIBERO ARBITRIO. 63

confirmatur, & quod dubitationis admixtum fuerat, dispellitur ac dissipatur. Sic neque initia fidei, nec incrementa humanis tribuuntur viribus, sed omnis eius laus ad unum & solum DEVM redit.

Putatur autem ipsum verbum succurrendi vel auxiliandi sic veluti parti-ri operas inter DEVM & hominem, vt homo quidem agat ex se, sed ita languidè, vt ad producendum effectum peruenire nequeat, ni causa alia adiutrix in subsidium veniat. Quo sensu etiam vox auxiliij vulgò sumitur?

Sanè quod attinet presens exemplum, nihil incommodi habet significatio hac verbi succurrere vel vocis auxiliij. Homo namq; renatus (qualis erat pater hic lunatici) omnino cöoperatur Spiritui sancto, non autem vi nativæ potentie, sed virtute donatæ gratiæ. Præterea verba succurrere, auxiliari, & similia, quando DEO aptantur, haud rarò totalem causam exprimunt, nec laudem operationis

tionis inter DEVM & homines partiuntur. Hæc significatio in Psalmis & Prophetis frequens est, ubi succurrere, subuenire, auxiliari, opem ferre, sæpè nihil aliud denotant, quàm ex eiusmodi eruere miserijs ac difficultatibus, in quibus omnis cessat operatio humana, & sola solius Dei virtus sese profert. Qualiter & Christus nobis sub Satana captiuis & in peccatis mortuis auxiliatus esse, opem tulisse, & perditis subuenisse dicitur absq; omni voluntatis humane ουρηγεία.

Eodem ferè modo ratiocinantur aduersarij ex dicto 15. Sine me nihil potestis facere. Ergo adiuti à me potestis facere, quæ recta sunt, DE OÛ;
placent?

Affatur hisce verbis Dominus Apostolos renatos, quos ceu palmites viti cælesti insitos indeq; vigorem fructificandi, id est, Deo grata faciendi haurire dixerat. Et quidem hoc ordo rerum postulat, ut prius boni sint, quàm benè operentur, secundum illud: non potest mala arbor fructus afferre bonos.
Matth.

DE LIBERO ARBITRIO. 65

Matth. 7. & 12. Et palmes non potest ferre fructum à seipso, nisi manserit in vite, Ioh. 15. Certum itaq; est, renatos coöperari Christo, non enim ociosi sunt, sed ad omne bonum opus apparati, 2. Tim. 3. In hoc autem cardo questionis vertitur, ex qua virtute seu facultate talia prestent? Et manet firma responsio, non presidio naturalium virium, sed solius Spiritus S. beneficio ab ipsis talia designari. Quod non ambigüè confirmat hæc ipsa Christi sententia: sine me nihil potestis facere, quæ potius euertit, quàm stabilit arbitrij humani ουπέπειται, hoc modo: Si ne renati quidem possunt in rebus spiritualibus ac diuinis ex sese facere quicquam, nec vlla opera edere, quæ DEO probentur, sine Christi gratia, quantò minus hominibus non renatis & extra gratiam Christi constitutis vel tantillum adscribendum fuerit? Adde, quòd & hæc vocula (Sine) non semper adiuantem aut coöperantem causam innuit, sed cum Deo attribuitur, plerunq; totalem causam definit. Sicut illustre est exemplum, Iohan. 1. Sine ipso factum est nihil, quod factum est. Quemad-

E modum

modum ergo non procedit, si quis sic colligat: Sine λόγῳ res non sunt conditæ: Ergò quando λόγῳ incipit res condere, coöperantur illæ ad sui creationem: ita nec in articulo reparationis, ex particula (Sine) coöperatio voluntatis humanæ rectè concluditur, nisi quatenus renati in statu novæ obedientiæ DEO agenti in ipsis coöperantur, id ipsum verò, ut dictum, ex donata Spiritus sancti gratia.

Parabola Christi Lucæ 10. de eo qui in latrones incidens, spoliatus & semiivus relictus fuerat, docet, hominem esse peccatis fauciatum quidem, non tamen prorsus occisum. Vnde colligitur, non omnes vires arbitrij liberi prostratas & euerfas?

Primò non urgebo, quòd hæc parabola non nisi per concinnam allegoriam (cuius tamen expressa mentio in textu non fit) ad conuersionis nostræ negotium soleat accommodari. A Christo certè ad institutum longè aliud

DE LIBERO ARBITRIO. 67

aliud refertur, videlicet ad quaestionem de diligendo proximo expediendam. Ex abundanti autem respondemus, si maxime sinamus huc quoque referrī parabolam, nihil tamē subsidij eā ferre patronis ουεργείας. Largimur enim haud inuiti, non omnes vires humani arbitrij esse prostratas, quandoquidem constat homini in externis rebus, aeconomicis & politicis sua libertas. Adhuc circa malas quoque actiones externas libera est hominis deprauata voluntas, velut in Paride, qui vel rapere potest Helenam, vel non rapere.

Porro in Ecclesiasticis superest homini facultas adeundi conciones, audiendi verbum, cogitandi de audito verbo, sicut exempla Pauli Sergij Proconsulis, Actor. 17. Felicis Praesidis Actor. 24. quin & Herodis, supra memorata perhibent. Atque hisce sanè respectibus similitudo de vulnerato & seminiuo relicto homine non in scitè applicatur ad ruderata haec, quae ex lapsu primorum parentum remanent. Quando autem quaestio est de spiritualibus actionibus, hoc est, de ipsa conuersione, illuminatione, regeneratione, fide,

E 2 noua

noua obedientia, &c. ad has efficiendas & edendas, diximus supra, tam esse ineptum & impotentem hominem nondum conuersum (quippè in peccatis spiritualiter planè mortuum, Eph. 2.) quam ad sui resurrectionem ineptus & inualidus est, homo penitus occisus, & naturaliter mortuus. Qua de re quia in precedentibus abundè dictum, nihil hic superaddo.

Ad Gal. 3. testatur Paulus, Spiritum per auditum fidei accipi. Ergo non e contra fides per Spiritum simpliciter, sed quodammodo ex hominis arbitrio prouenit?

Initio phrasim attendatur, qua dicitur fidem accipi per ἀκούειν πίστεως, per auditum prædicatæ fidei, seu per prædicationem & annunciationem Euangelij, eam verò non neglectam, sed auscultatione perceptam. Opponit ergo Paulus legem & Euangelium, & ostendit, non ex prædicatione legis dari Spiritus sancti gratiam, sed ex prædicatione fidei, quam Euangelij esse periphrasin instituta
illie

DE LIBERO ARBITRIO. 69

illic antithesis euincit. Ex predicatione ergo
Euangelij utrumq; nobis prouenit, Spiritus
sanctus & fides: suo tamen conuenienti ordi-
ne, in quo Spiritus sanctus geminum habet
respectum. Priori modo consideratur ut
causa efficiens, qui velut ad extra hominem
non renatum aggreditur, per verbum Euan-
gelij, & hoc mediante in illo potenter agit, id
est, conuersionem & fidem operatur: atq; hoc
considerationis modo operatio Spiritus san-
cti fide prior est, ut causa suo effecto, 1. Cor.
12. Quando autem fides in homine accendi-
tur, datur iam idem ille Spiritus per fidem ad
gratiosam inhabitationem & diuini fauoris
obsignationem, tanquam pignus & arra ha-
reditatis nostrae, 2. Cor. 1. & Eph. 1. Et hoc
posteriore modo absurdum minimè est dice-
re, Spiritum sanctum per fidem dari, ut gra-
tiosè in nobis habitet, sicut & Christus habi-
tare per fidem dicitur in cordibus renato-
rum, Eph. 3. Qui in iisdem ante renascen-
tiam nondum hoc modo habitat, in primo au-
tem initio conuersionis velut ab extra in ijs
operatur, suaq; operatione & efficientia fidei

E ; illas

illos sibi velut in templum, in quo habitet, sanctificat.

Iohan. 6. inquit Saluator: Omnis, qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Ergo potest homo non tantùm audire, sed etiam quodammodo discere ex se, vt ad CHRISTVM veniat?

Quòd hac interpretatio à mente Christi toto caelo distet, iunctura textus infallibiliter ostendit. Is cohæret hunc in modum: Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo, qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me: In qua periocha duo membra sese offerunt, quæ arbitrij libertatem in diuinis funditus euertunt. Prius continetur hisce verbis: Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum. Posterius ita sonat; Omnes erunt docti à DEO. Si à DEO docti, utiq; non à semet-ipsis. Quamobrem & Christus in allegato dicto

DE LIBERO ARBITRIO. 71

dicto ait: Qui audiuit à patre. Nisi enim pater doceat, nunquam nos discemus, multoq; minus veritatem doctrinae Evangelicae ex nobis ipsis cognoscemus. Quia verò docet Deus, nosq; discimus, non immediatè, sed per verbum Christi mediatè, idcirco verbis allegatis ordo notatur, quo solet hominem trahere, & ad Christum perducere. Is ordo est, quòd pater omnem nostrum cursum, imò etiam conatum audiendi anteuertens, reuelat & proponit verbum suum, idq; predicare sinit per filium. Qui ergò filium audit, audit patrem. Audit porrò filium, qui legatos illius audit. Luce 10. Qui vos audit, me audit. Proinde qui vult ad Christum venire, is verbum DEI audiat necesse est. Verùm non sufficit audire, sed requiritur, vt discendi animo audiatur: ideo namq; coniungit Christus vtrumq;, nempe audire & discere. Quanquam autem tò discere, & in schola Dei proficere in nostris viribus haudquam est, tamen generale illud desiderium vt salutis, ita cognoscendae veritatis, & audiendi discendiq; studium aliquatenus adhuc

hominibus etiam non renatis competere, irrefragabile exemplum Iudaorum ostendit, Amos 8. Quos licet ob præcedentem impietatem extra DEI gratiam constitutos, suo tamen tempore, cum desiderio, fame atque siti, verbum Domini terra marique quesituros, sed non inuenturos pronunciat. Summatim ergo Christus ostendit, quòd is demum, qui audit, & Spiritui sancto per auditum verbum operari solito viam non præcludit; mediante hac auscultatione verbi, non ex arbitrij viribus, sed Spiritus operatione, discat, conuertatur & credat.

Si tollitur arbitrij libertas in diuinis; ratio dari nequit, cur hic conuertatur & saluetur, ille verò non. Sed recurrendum erit ad absolutam Dei voluntatem, qua nonnullis fidem non dare decreuerit. In hanc voraginem ne feramur præcipites, concedi necesse est, aliquos ideo non saluari, quia nolunt credere, cum possent credere?

Ut hoc argumentum dextrè & solide explicetur,

DE LIBERO ARBITRIO, 73

plicetur, *duae sunt attendendae quaestiones, quibus excussis promptum erit hoc quoque Sophisma diluere. Prior est de voluntate Dei, quomodo se habeat ad conuersionem hominum. Altera est, an sit immediata diuisio, qua conuersionis defectus aut in libertatem arbitrij humani, aut (si haec negetur) in Dei absolutum beneplacitum confertur? An vero sit quoddam tertium & intermedium, in quo causa quaerenda sit, quod aliqui non conuertuntur.*

Priorem ergo quaestionem quod attinet, quomodo comparata est diuina voluntas ad conuersionem hominum?

Ad inuestigandum hoc necesse non est diuinae maiestatis abyssum perscrutari. Propè enim est verbum, quod Dei voluntatem nobis non ambigè manifestat. Pleni sunt Prophetarum libri talium admonitionum, quibus Dominus ad conuersionem inuitat, & vocat etiam eos, qui sua culpa non conuertuntur, sed in peccatis perseverant & pereunt.

E 5 Apud

Apud Esaiam clamat Dominus, se tota die
 expandere manus suas ad populum non cre-
 dentem & contradicentem. Esaiæ 65. Apud
 Ezechielem sanctè iurat; Vivo ego, dicit
 Dominus, nolo mortem impij, sed ut impius
 conuertatur & viuat. Ezech. 33. Quam sa-
 cro sanctam asseuerationem non de ijs solum-
 modo, qui tandem actu conuertuntur, sed de
 pereuntibus etiam sonare Dominus ipse au-
 thenticus interpres est, cap. 18. Ut quid mo-
 rieri mihi, domus Israël? quia nolo mortem
 MORIENTIS, dicit Dominus Iehoua.
 Hanc benificam Dei voluntatem extendit
 & Paulus Apostolus super omnes homines,
 Rom. 11. conclusit Deus omnes sub incredu-
 litatem, ut omnium misereatur, Et 1. Tim.
 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, &
 ad agnitionem veritatis peruenire, & D.
 Petrus, 2. Epist. 3. Patiens est erga nos Deus,
 dum non vult ullos perire, sed omnes ad pœ-
 nitentiam recipere. Plura & testimonia &
 argumenta huius voluntatis & consilij Dei
 omnium hominum conuersionem & salutem
 sciuntis, & ad efficiendam eam media sua
 propo-

proponentis, alibi citantur. Hæc pauca confirmando instituto produxisse sufficiat.

Venio igitur ad alteram quæstionem, & rogo, cur non sequatur, aut in hominis *συνεργεία* quærendum esse defectum conuersionis aliquorum, quod videlicet credere non volunt, cum possint credere, aut in Dei voluntate absoluta & occulta, qua nolit illos credere?

*Spiritus sanctus in sacris literis ostendit aliquod intermedium, tradēs perspicuè causam, ob quam non omnes ad fidem perueniant, nec in facultate virium humanarum, velearum *συνεργεία* in spiritualibus, nec in Dei voluntate esse collocandā, sed in contemtu ordinis & neglectu mediolorum æternæ salutis, sine quibus medijs ordinariè nec conuersionem, nec fidem, nec salutem ipsam, operari Deus constituit. Etenim quia mundus in sua sapientia non cognouit sapientiam Dei: Visum est Deo per stultitiam prædicationis saluare, & per auditum siue auscultationem*

tionem annunciati verbi homines trahere,
 conuertere, fide donare, & in aeternum beare.
 Sicut scriptū est: Fides est ex auditu, ex audi-
 tu verbi Dei. Rom. 10. Iam cum homines ex-
 tra Ecclesiam constituti, verbum Dei non au-
 diant (carent enim eo partim vitio proprio,
 partim culpa ingratitude maiorum) Ideo
 mirum non est, ad Deum illos non conuerti.
 Quin & in Ecclesie cœtu, quia multi verbum
 Dei secure negligunt & contemnunt, Certè
 quod non conuertuntur, non voluntas aut
 decretum aliquod Dei in culpa est, sed ipsi-
 met hoc contemptu mediorem suam ad Deum
 conuersionem impediunt.

Imò inter eos, qui non contemnunt,
 sed audiunt verbum Dei, non tamen
 omnes conuertuntur. Adhuc ergo vel
 ad decretum absolutum erit prouo-
 landum, vel statuenda arbitrij libertas,
 qua credere aut amplecti nolunt id,
 quod amplecti pos-
 sent?

Neutrum horum propterea statuendum
 est,

DE LIBERO ARBITRIO. 77

est, sed e contra potius hac constituenda Regula est, quod Spiritus sanctus certo velit per verbum esse efficax in omnibus, qui audiunt illud, si modo ipsimet operationem eius non impediunt aut interuertant, quod multis modis fieri posse Christus ipse docet in parabola, Lucae 8. ubi de quadruplici semine differens, defectum fructificationis verbi non in voluntatem seminantis, sed in diuersa studia auditorum confert, quod fusius alibi, praesertim in articulo praedestinationis explicari consuevit.

Hoc ipso autem, quod asseris, Deum operari conuersionem per auditum verbi, *συνεργεῖν* confirmare videris inscius. Ita namque homo auditu suo gratiam Dei antevertit, ad eamque se velut applicat & praeparat?

Quomodo homo auditu suo queat Domini gratiam praertere, cum Deus ex mera misericordia reuelatione verbi sui iam antecesserit? Num audire potest homo verbum
Dei,

Dei, nisi Deus id velut ex arcano sinu suo misericorditer proferri curet? quandoquidem ut & supra dictum est, Evangelium intelligentia humana viribus obuium minimè est, sed ut id vel predicetur, vel audiatur, necesse est, ut Deus patefactione mysterij, Evangelicæ doctrinæ antecedit. Adhæc etsi audire potest homo verbum Dei, quando misericordia reuelantis Dei & concio predicantis ministri antegreditur; tamen hic auditus neq; meretur operationem Spiritus sancti, sicut Pontificij de merito congrui fabulantur; nec per se velut ex opere operato fidem confert. Sed Deus est, qui gratuita bonitate per auscultationem verbi sui cœlestia sua dona vult operari. Qui etiam sua solius virtute & benedictione efficit, ut auditus noster non cadat irritus, sed eo mediante fides alijs noui motus accendantur in cordibus audientium.

•••

¶

Si inter

DE LIBERO ARBITRIO. 79

S *Si inter non renatos aliqui facilius conuertuntur, quàm ceteri: hoc ipso plus ad conuersionem virium illis quàm his adscribitur.*

At prius verum.

Ergo & posterius.

Ad argumentum ipsum tum respondebitur, ubi prius audita fuerit minoris propositionis comprobatio.

Minoris comprobationem accipe hanc.

Legisperitum, qui laudabat responsum Christi, Marci 12. Saluator ipse propiorem esse docet regno DEI quàm ceteros Phariseos. Idem meretrices & publicanos facilius pronunciat conuerti quàm Phariseos, Matth. 21. pauperes facilius quàm diuites, Matth. 19. **S**

Vt hac quaestio de non renatis vtring, sic muniatur, ne velin hac vel illa parte quicquam impingatur: declarandum est primò, quid non renati ex æquo commune habeant. Deinde in quibus differant, & qua sint istius diuer-

diuersitatis cause. His enim iuxta scripturam
normam studiosè pensitatis, expeditum erit
iudicare, nihil inde vel Pontificijs vel Syner-
gists ceteris ad thema suum obtinendum
lucri emergere.

Dic agè primò, in quibus con-
ueniant?

A Equales initio sunt ratione peccati ori-
ginalis. Omnes quippe in peccatis concepti &
nati, Psal. 51. Iob. 3. In eo etiam conueniunt,
quòd ad unum omnes in hoc quidem statu
alieni sunt à Dei gratia, & regni cœlestis
exortes, iuxta pronunciatum Christi: Nisi
quis natus fuerit è supernis, non potest vi-
dere regnum Dei, Iohan. 3. Tertio, quòd neq;
his, neq; illis non renatis, vlla suppetunt vi-
res vel tantillum afferendi aut conferendi
ad sui conuersionem, utpote, qui simul omnes
in peccatis mortui prædicantur, Eph. 2. Quar-
tò equales etiam sunt respectu naturalis il-
lius contemptus, quo animalis homo natura
fastidire solet verbum Dei, stultitia siquidem
est illi, nec potest cognoscere, quòd spirituali-
ter

DE LIBERO ARBITRIO. 81

ter dijudicatur; 1. Cor. 2. Vnde fit, ut in rebus diuinis & salutem spectantibus tantum errent, secundum illud: Erramus omnes sicut oves errantes, Esa. 53. Hæc sunt, in quibus ad unum omnes non renati conueniunt.

Dixisti verò esse aliquam rursus inter eos diuersitatem, respectu cuius nonnulli minori cum labore conuertantur quàm cæteri?

Idèq; adhuc affirmo. Non autem nunc dicam de eà differentia, quam latens in corde concupiscentia iuxta temperamenti diuersitatem efficit, veluti quòd pro disparitate xp̄oσeωs aliquos ad hæc vel illa peccata actualia validius concitat: Colericos ad iram, sanguineos ad libidines, senes ad auaritiam, iuuenes ad voluptates carnis. Quànquam certè & hæc sunt ceu adminicula, quibus Satanas homines non regeneratos tristissimæ suæ seruituti fortius subiugare solet. Nos in euoluenda præsentè quaestione tantum obstacula considerabimus, quæ ab hominum culpâ propria eorumq; voluntate oriuntur. Ea sic

F

compa-

comparata sunt, ut apud quos illa reperiuntur, hi multò acrius ad pœnitentiam flecti queant, facilius autem qui ab impedimentis illis sunt immunes.

Declarari hoc ipso præmemoratis exemplis?

Legisperitus Marti 12. qui responsum Domini collaudabat, dicitur haud procul abesse à regno Dei, id est, propior esse Dei regno, quàm ceteri Pharisei. Causa diuersitatis non querenda est in libertate arbitrij, quasi legisperitus iste plus habuerit naturalium virium cooperandi Spiritui sancto: sed querenda ea est in obstaculo, quod ceterorum Phariseorum conuersioni fortius obstabat. Id obstaculum erat inueteratum odium, quod aduersus Christi personam & doctrinam in reliquis Phariseis tam profundas egerat radices, ut omnia eius dicta & facta simpliciter damnarent: cum econuerso hic Legisperitus responsum Christi coram populo commendaret, atq; sic facto ipso declararet, se non flagrare tanto in Christum odio, ut ad exemplum cetero-

DE LIBERO ARBITRIO. 83

terorum Scribarum & Phariseorum omnia
 singulaq; Christi dicta notata velit atro con-
 demnationis calculo. Quemadmodum etiam
 precepta legis moralis preferens omnibus
 victimis & holocaustis, ostendebat, se
 non tam profundè cæno Pharisaicarum opi-
 nionum esse immersum. Sic (ut ad alterum
 exemplum transeamus) meretrices & Pu-
 blicani facilius conuertebantur, Pharisei lon-
 gè difficilior: idq; propter impedimentum
 præconceptæ propriæ sanctitatis, cuius opinio-
 ne Pharisei sic turgebant, ut alienam sancti-
 tatem iustitiamue non requirerent. Econtra
 Publicani & meretrices non erant sibi pro-
 pria ullius sanctitatis conscij, sed potius plu-
 rimorum & maximorum peccatorum; id-
 circò nec exitialis hæc opinio Pharisaica con-
 uersioni eorum obstare poterat. Sic quando
 asserit Christus, diuites multò difficilior
 (atq; sic econuerso pauperes facilius) ingredi
 regnum cælorum; causa huius inæqualitatis
 & disparitatis iterum non in naturali ali-
 qua facultate applicandi se ad gratiam po-
 nenda est, sed in obstaculo externo diuitia-

84 TRACTATUS

rum huius seculi, à quo liberi sunt & imminentes pauperes.

Potes præter exempla hæc proferre insuper alia, quibus hanc quæstionem explicatiorem reddas?

Possum omnino, & ex Dei verbo, & ex quotidiana experientia. Certum enim est, eos qui verbum Dei audiunt, licet renati nondum sint, facilius tamen conuerti, quam illos qui conciones verbi aspernantur & negligunt: non quòd in illis prioribus plus naturalium ad conuersionem virium insit, sed quia his alteris obstat neglectus ille ordinarij mediij sine organi, sine quo Deus ordinariè hominum conuersionem non operatur. Certum est & hoc, eos, qui errore aliquo præoccupati sunt ex mera simplicitate, citius hinc extricari posse & in viam veritatis reduci, quàm qui in errore induruerunt, eiq; se totos quasi manciparunt. Sic misera plebecula tempore Christi, quæ erat instar dissipati gregis, errabat ex simplicitate, & facilitate longè maiori conuertebatur ad pastorem animarum

DE LIBERO ARBITRIO. 85

rum Iesum Christum, quàm Pharisei, qui & Seniorum constituiunculas & proprias suas ad inuentiones mordicus defensabant. Sic hodie laici in papatu facilius certè conuertuntur quàm indurati Iesuitæ. Sic qui habitum peccandi planè Epicureum induerunt, ut religionem pro nihilo ducant, hi profectò fortius à Satana sunt constricti, quàm alij, qui & ipsi quidem haud dum vel conuersi sunt, vel renati, interim peccatorum voragini non ita profunde sunt immersi. Itaq; posteriores hi sanabiliore sunt, & comparatè loquendo facilius conuerti rectè predicantur. Vbi vox facilitatis non insitam quandam naturalem facultatem significat conuertendi se, aut in conuersione Deo cooperandi: sed comparatè accepta docet tantummodò, apud hos pauciora ac debiliora, apud illos verò plura & validiora impedimèta & repagula quasi Spiritui S. obijci, quò minus in Epicuræorum illorum cordibus ad cõuersionem sit efficax. Et nihilominus neq; his neq; illis adscribitur vlla naturalis potestas atq; vis oueryeias, qua non minus hi atq; illi, & vicissim, omni ex parte de-



stituti sunt, ut nisi Deus ipse saluari sua institutione atq; ordine auditum verbi consecret in medium conuersionis, hi, qui audiunt, tam ex se suisq; viribus conuerti nequeant, quod qui non audiunt, aut quoquo modo suae salutis officiant.

Inter ea, quae cunctis exaequo non renatis communia sunt, numerasti etiam illud naturale fastidium, quo animalis homo verbum Dei ut stultitiam auersatur. Hoc cum ita sit, quomodo hominibus etiam non renatis tribuis aliquod cognoscendi eius studium?

*Rursum hic inter non renatos luculenta sese offert diuersitas. Quidam enim sunt intra visibilem Ecclesiae Dei caetum, quidam vero ab Ecclesiae communione visibiliq; ce-
tuplane separati. Priores illi etsi nunc renati non sunt, tamen aliquando per baptismum regenerati fuerant, amiserunt autem donum gratiae & renascentiae per peccata contra conscientiam admissa. Atq; hi licet verè sint di-
uine*

uina gratiae exsortes, adeò ut non minus quàm Ethnici damnentur, nisi resipiscant: Ex antecessa tamè institutione Christianae Ecclesiae quaedam eis superest literalis notitia, qua doctrinam diuinitus patefactam, vel totam, vel aliquas eius partes, non eo modo atq; gradu habent pro stultitia, quo Ethnici, sed consentiunt de doctrina, vel omni, vel aliqua ex parte, eamq; pro veritate caelesti agnoscunt: tametsi non magnoperè curent illam, neq; Spiritualem eius vim, salutarem efficaciam, & gratiosam obsignationem in cordibus suis persentiscant.

Rectè hæc de impijs in Ecclesia, quomodo autem his, qui foris sunt, & doctrinam Euangelij habent pro stultitia, aliquod inquirendi saltem in eam studium assignabitur?

Hi cum rursus non sint unius generis, nec idem ex æquo de illis faciendum iudicium est. Alia namq; ratio est eorum Ethnicorum, quibus olim Apostoli prædicabant:

F 4 alia

alia eorum populorum, qui hodie sunt à Chri-
 stiana religione alieni. Virisq; sanè stultitia
 sunt ea, quæ sunt Spiritus, 1. Cor. 2. Quem-
 admodum de sui seculi gentilibus scribit
 Apostolus, 1. Cor. 1. Prædicamus Christum
 crucifixum, Iudæis offendiculū, Græcis verò
 stultitiam. Interim iudicium humanæ ratio-
 nis peruersum apud eius ætatis populos infide-
 les potentissimè retundebatur stupendis &
 inauditis miraculis, quibus hæc doctrina ceu
 sigillis ac testimonijs omni exceptione maio-
 ribus humano generi calitus ita commenda-
 batur, ut quam doctrinam aliàs ut stultam
 & absurdam auersantur Ethnici, eam licet
 nondum cognitam, miraculis, quibus insi-
 gnis erat, permoti cognoscere auerent, qualis
 tandem illa esset doctrina, quæ tanta signo-
 rum prodigiorumq; maiestate fulgeret. Vnde
 etiam represso improbo humanæ rationis iu-
 dicio illo frequentissimus accursus & propè
 vniuersalis omnium gentium aggregatio ad
 vexilla Iesu Christi prædicationem
 Apostolorum insecuta
 est.

Esto,

DE LIBERO ARBITRIO. 89

Esto, sit hæc quæstio expedita, respectu incredularum gētium, quæ ætate vixerunt Apostolorum; tamē adhuc hæret, respectu Iudæorum, Turcarum, aliorumq; planè infidelium hodie populorum, de quibus tale quid de conspectis miraculis pronunciare non licet?

Idcirco dixi, aliam illorum Ethnicorum, qui signa Dei cominus olim aspexerunt, esse rationem, quàm hodiernorum. Et ut quæstio penitus excutiatur, conceditur per facile, naturam ipsam hominis, adeoq; πᾶν νόημα, id est, omnem intelligentiam humanam, ἔχον πᾶν φρόνημα, Rom. 8. atq; sic rationem pariter & voluntatem animalis hominis abhorere non tantum à doctrina ipsa, sed & ab eius cognoscenda studio: Idq; fastidio quodam naturaliter ingenito: Neq; ullo tangi eius vel discenda vel cognoscenda desiderio, nisi quibusdam veluti stimulis ad studium illud inquisitionis incitetur. Sed & hoc conceditur, quibusdam populis præter naturale fastidium,

F s dium,

odium, à Diabolo instillatum esse odium doctrine Evangelicæ planè Satanicum, ita ut ex hoc accidente ea etiam aptitudo (quæ aliàs respectu externi auditus illis supererat), in ipsorum cordibus propemodum extincta sit & abolita.

Duo proposuisti, quæ declarationem requirunt. Prius est de stimulis ad cognoscendi verbi studium incitantibus. Alterum de accidente, cuius vitio in nonnullis omnis ferè aptitudo etiam ad externum auditum præstandum aboletur.

Prius igitur illud sic accipe. Inest hominibus etiam planè Ethnicis aliqua notitia de Deo, partim ex residuo lumine nature, partim ex aspectabilibus huius mundi operibus hausta Rom. 1. Vnde & Cicero nullam gentem tam barbaram esse scribit, cui non hæc opinio infixæ sit, esse Deum. Deinde hæc quoque sententia illorum animis impressa est, Deum esse iustum, pietatis & honestatis amantem, scelerum flagitiorumque acerrimum osorem
atq.

DE LIBERO ARBITRIO. 91

atq; vindicem. Tertio stimulantur intus peccatorum & admissorum scelerum conscientia etiam hi, qui planè sunt Ethnici, & punguntur cogitationibus accusantibus ipsos, ut asserit Apostolus Rom. 2. Quarto, sed neq; opinio de aliquo post hanc vitam iudicio atq; pœna peccatorum prorsus apud illos exspiravit. Quemadmodum huius rei gravissima sententia ex Ethnica vetustate proferre possem, quæ & animarum immortalitatem statuunt, & scelerum horribiles pœnas insecuturas decernunt. Iam quinto, naturalis hic affectus uniuersis inditus est, ut quisq; sibi etiam post hanc vitam malit esse bene quàm male. Accedit adhac enumerata, quòd Deus Ecclesiam omnium temporum velut in excelso loco constituit, & in omnium populorum atq; gentium conspectu exaltauit, singularitate cultus diuini, ut & miraculorum maiestate eam conspicuam reddens. Quæ sic coniuncta etiam in nondum conuersis gentibus studium quoddam inquirendi in hunc cultum Dei, represso nonnihil illo stultæ rationis iudicio excitare poterant, & apud quamplurimos re ipsa excitarunt.

Quo.

92 T R A C T A T V S

Quomodo studium hoc, quod memo-
ratis adminiculis excitari potest, per
accidens in nonnullis infidelibus
populis impeditur?

*Quando præter naturale fastidium, quod
enumeratis modis aliquatenus corrigitur,
accedit insuper compunctionis spiritus, quo
verbum Dei actualiter, horrendum in mo-
dum, à Satana incitati homines à Christiana
religione alieni, detestantur & execrantur,
seque professos hostes Christianæ fidei gerunt,
quod Iudæi, & Turcæ, & nonnulli alij infide-
les populi hodie factitant. Tales certè sine Sa-
tanico fremitu ne audire quidem sustinent
verbum Euangelij de Iesu Nazareno. At-
que sic accidente hoc horribilis pertinaciæ &
indurationis (quod iam ad naturale vitium
aliunde, nempe à Satana impulsu accedit) in-
habiles redduntur etiam ad externum audi-
tum cum externo quodam studio præstan-
dum; & proinde non conuer-
tuntur Esaia 6.*



Talis

DE LIBERO ARBITRIO. 93

Talis verò erat ipse Apostolus quoque Paulus, qui nil moratus stupenda miracula Domini Iesu & Apostolorum eius, ad rabiem vsque aduersus Christum & Ecclesiam ipsius sæuiebat, & nihilominus conuersus est?

Non negatur, istam in persequendo verbo Euangelij malignitatem accidẽtalem posse Dei virtute per varia media, eaq; violenta ferè rursus corrigi. Interim conuersionem Pauli quod attinet, est ea planè singularis, & extra communem ordinem facta. Nam cum aliàs ordinariè non nisi per verbum in Ecclesia prædicatum statuerit Deus exequi conuersionis opus (sicut in infantibus per Sacramentum initiationis) Paulus vicissim conuertitur per verbum Christi, sed nouo & inusitato modo prædicatum, videlicet inter tonitrua & fulgura cœlitus annunciatum. Quo sanè modo non decreuit ceteros mortales conuertere. Cur autem hac extraordinaria via Paulum conuertere voluerit, ceteros non item: non est nostrum curiosè inquirere; sufficit affir-

affirmare, quòd Deo ita sit visum, præsertim
 cum cæteris interim nil decedat, quin & ipsi
 ordinaria ratione, per usurpationem medio-
 rum, virtute Spiritus sancti conuerti queant.

Quòd si omninò aliqua danda ratio est: hæc
 non ineptè videtur assignari, quòd Dominus
 hac speciali conuersione Pauli sublimius quid
 instituebat, quàm in conuersione reliquorum
 hominum. Siquidem constitutum ei erat, non
 tantum ex Iudæo facere Christianum sed in-
 signem insuper Apostolum & gentium Do-
 ctorem, cuius potissimum ministerio prædi-
 ctiones Propheticae de uniuersali vocatione
 gentium salutariter adimplenda erant; tum
 verò ut in Apostolo præstantissimo eximium
 statueretur exemplum summi articuli Iusti-
 ficationis gratuita, in quo fundamentum salu-
 tis cõsistit, quæadmodum ipse testatur 1. Tim. 1.

De his, qui olim regenerati, per pecca-
 ta mortalia dono regenerationis exci-
 dunt, quæro, anné conciones verbi,
 quas & prius audiuerant, & nunc tem-
 pore suæ ὑποκρίσεως audiunt, omni ex
 parte sint illis manentq; in-

frugiferae?

Equi-

Equidem in presenti nihil eis profunt
 conciones, quas velolim audiuerunt, consti-
 tuti adhuc in renascentiæ statu (si enim auer-
 terit se iustus à iustitia sua: omnis antegres-
 sa iustitiæ ipsius non recordabor, inquit Do-
 minus, Ezechielis 18.) multò minus profunt
 eis (iam quidem) conciones, quas audiunt in
 suæ impietatis statu. Fieri. a. potest, ut aliquã-
 do vel cõcione legis exterriti, vel insigni qua-
 dã calamitate ad agnitionẽ peccatorum per-
 ducti, ad animum reuocent ea, quæ pridem si-
 ne omni fructu audierant, atq; sic verbum
 antegresso tempore auditum, & ratione lite-
 ralis tantùm notitiæ perceptum, in memoria
 tamen reconditum, nunc operante Spiritu
 sancto fructificare incipiat: Haud aliter atq;
 granum tritici sine fructu iacet in fundo du-
 ro; quando verò fundus ille vomere scindi-
 tur, & glebæ confringuntur ac diminuuntur,
 atq; sic ad excipiendum semen terra efficitur
 apta: tùm idem illud granum, quod prius
 ἀργύρον iacebat, nunc in fundo sic prepara-
 to germinare & fructificare incipit. Sic quo-
 que


que verbum prius hypocritico corde auditum, memoria tamen retentum, quando cor vomere diuinæ legis scinditur & occatur, atq; sic ad illud excipiendum habile redditur, tunc Spiritu sancto virtutem largiente fructum afferre incipit.

Ad extremum obijcitur & hoc, quòd in ipsa conuersione hominis sit acris lucta, quæ aliquam licet tenuem & exilem libertatem arbitrij arguat?

Lucta hæc adeò non arguit arbitrij humani libertatem in negotio salutis, ut potius naturalem eiusdem repugnantiam ostendat. Neq; enim hæc est illa pugna rationis & appetitus, de qua Philosophi disserunt in doctrina virtutum moralium, sed est lucta carnis, & hanc operatione sua aggredientis Spiritus. Vbi rebellantis carnis nomine venit non tantum appetitus seu *δύναμις ὀρεκτικὴ*, quæ ad malum omne propendet, verum etiam ratio: ita ut ratio & appetitus in spiritualibus sibi inuicem non repugnent, sed *sociis*

DE LIBERO ARBITRIO. 67

*cias iungant manus, & conſpiratione facta
obluctentur Spiritui. Siquidem & τὸ φρόνη-
μα carnis inimicitia eſt aduerſus DEVM;
Rom. 8. & τὸ νόημα mentis ſic obluctatur
Deo, ut non niſi domitum & in obſequium
Chriſti captiuatum ſentiat & ſapiat ea, quæ
Dei ſunt, 2. Cor. 10. Proinde quia totus homo,
mente pariter & voluntate, cunctisq; viri-
bus, à Deo naturaliter auerſus eſt: Deus in
conuerſionis actu ex repugnante mente &
voluntate facit aſſentientem. Neq; aliud vox
conuerſionis in hac quidem diſputatione ſi-
gnificat, quàm iſtum mentis voluntatisq;
tractum quo ad aſſenſum præbendum flecti-
tur à Spiritu ſancto, priore contumacia car-
nis debilitata quidem & ſubacta, non-
dum tamen omni ex parte
exterminata.*



G DE

DE STATV HOMINIS
post factam conuersionem
& regenerationem.

Quantum audio, ne in renatis quidem
eam, quam dixisti, luctam finitam
esse censes?

Hoc certè Diuus Apostolus & de rena-
tis in thesi, & de se renato in hypo-
thesi confirmat. Nam Gal. 5. sic concionatur,
Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis
non perficietis. Nam caro concupiscit aduer-
sus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem.
Hæc autem inter se mutuò aduersantur, ut
non quæcung; volueritis, faciatis. De se in spe-
cie conqueritur Roman. 7. Reperio per legem
volenti mihi facere bonum, quòd mihi ma-
lum adiunctum sit. Delectat enim me lex Dei
secundum internum hominem: sed video
aliam legem in membris meis, rebellantem
legi mentis meæ, & cap iuum reddentem
me legi peccati, qui est in mem-
bris meis.

Vt

DE LIBERO ARBITRIO. 99

Vt ergo statum renatorum exactius ponderemus: dic age, sitne voluntas renati hominis ad spirituale bonum libera?

Libera sanè est, quia liberata, atq; sic non naturali ducuntur propendet ad bonum, sed ut saepe iam dictum est, virtute agentis & regentis eam Spiritus sancti. Ducuntur ergo renati Spiritu libertatis, Spiritu spontaneo. Ps. 51. Seruientes Deo, non secundum vetustatem literæ, sed iuxta nouitatem Spiritus, Roman. 7. Quæ & libera seruitus est, quia à spontaneo Spiritu proficiscens: & serua libertas, quia non effrenis aliqua licentia quidvis agendi pro arbitrio, sed ad Dei voluntatem atq; legem ceu normam conformatum & obligatum obsequium. Neq; enim pro libertate Spiritus aliquam usurpare licet carnis licentiam, quæ se nullis legibus teneri autumet: sed tenendum illud Apostoli, sic libertatem renatorum explicantis Galat. 5. Vos in libertatem vocati estis fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite vobis inuicem.

G 2

Quo-

Quomodo renatorum voluntas prædicatur libera, cum Paulus renatus de se scribat: ego carnalis sum, venundatus sub peccato, & rursus: Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivum red-
dentem legi pec-
cati?

Virumq; verum est, & liberam esse Pauli voluntatem, & nihilominus captivam, alio nimirum atq; alio respectu, secundum distinctionem ibidem ab ipso Apostolo demonstratam. Voluntas renati Pauli est ad bonum libera, quia à Spiritu S. sic liberata, ut iam mente vel secundum interiorem hominem (hoc est, in quantum renatus ipse est & Dei Spiritu agitur) obsequatur legi voluntatiq; Dei: idq; libere, quod delectationis verbo exprimit, inquiens: delectat me lex Dei secundum internum hominem. Quia verò propter malum in carne habitans, id est, propter peccatum inhaerens, & ex eo pullulantes infirmitates regeneratio in hoc seculo perfecta non est: Hinc adeò fit, ut remanentis peccati mole
gravis-

DE LIBERO ARBITRIO. IOI

grauatus Apostolus, id, quod vult bonum, non
 perficiat, id est, non ita perfectè illud faciat,
 quin renitatur caro, & opus aliàs bonum ad-
 iacente peccati infirmitate contaminetur,
 quemadmodum ait; reperio, volenti mihi fa-
 cere bonum, quòd mihi malum adiunctum
 est. Hoc sensu Paulus se captiuum duci confir-
 mat sub lege peccati, non eo certè modo, quo
 impij dicuntur captiui esse Satanae & peccati.
 Hi enim pleno obsequio peccatis & desiderijs
 carnis obsecundant; sicut de Achabo Scriptu-
 ra loquitur, quod venditus sit, ut faceret
 malum in conspectu Domini. Renati verò re-
 pugnant peccato per Spiritum S. Rom. 8. Gal.
 5. nec sinunt illud regnare in mortali suo cor-
 pore ad obediendum illi per cupiditates eius,
 Rom. 6. Quin dolent potius, se ab inharrente
 praua concupiscentia infestari, & ad peccan-
 dum sollicitari, & hanc enixè dant operam,
 ut concupiscentias carnis indomita refre-
 nent, ut facta carnis mortificent, ut car-
 nem crucifigant cum desiderijs illius, Gal. 5.
 ne in exteriora peccata, quae regnantia appel-
 lantur, prorumpere valeant. Atq; sic captiui
 sunt,

sunt, quatenus non possunt ab omni peccato planè esse liberi in hac vita. Rursum liberi sunt, quatenus à reatu simul ac dominio peccati liberati, volūt ea, quæ legi Dei sunt conformia, eaq̃ faciunt insuper, idq̃ libero Spiritu, licet imperfecto obsequio.

Potest ergo voluntas renata ex se facere, quod rectum est in spiritualibus?

Non ex se, sed tantum ex virtute Spiritus sancti, quo regitur & agitur. Sic homo renatus, quod & credit, & in fide perstat, & pro ea patitur: non id humana facultatis, sed Dei opus atq̃ munus est, Phil. 1. & 2. Thess. 3. Deus enim est, qui bonum in nobis inchoatum opus perficit usq̃ ad diem Iesu Christi, Phil. 1. Et non nostra, sed Dei virtute custodimur per fidem ad salutem, 1. Pet. 1. Quemadmodum Saluator ad discipulos renatos ait: Sine me nihil potestis facere, Ioh. 15. Proinde manet etiam respectu hominum renatorum sententia D. Pauli Phil. 2. Deus est is, qui agit in vobis, & ut velitis, & ut perficiatis.

Ita

Ita iam quidem coöperamur Deo in statu noue obedientiae, id ipsum verò non nisi Dei virtute atq; dono gratuito; secundum illud 2. Cor. 5. Si quis est in Christo, noua creatura. Et Eph. 2. Ipsius sumus opus conditi in Christo Iesu ad opera bona.

Dixeras, voluntatem hominis in conuersione liberari quidem, sed non perfectè. Cur igitur Noë perfectus fuisse dicitur? Gen. 6.

Et Noë, & quidam alij sancti prædicantur in sacra Scriptura perfecti, non quòd illorum renascentia fuerit undiquaq; completa & consummata, atq; ipsi iam à peccato prorsus immunes. Diuersum enim scriptura de renatis etiam perhibet, quod ex citato Apostolico testimonio Rom. 7. liquet. Et Iohannes idem ad unguem affirmat, inquiens: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis, 1. Ioh. 1. Dicuntur autem perfecti primò propter exquisitam perfectionem obedientiae Christi per fidem eis imputatæ. Sic Noë per-

fectus dicitur Gen. 6. eo sensu, quo ibidem pronuntiatur iustus. Coniungit enim Moses utrumq; Epitheton, dicēs: Noë erat vir iustus & perfectus. Iustitiæ porro vocem scriptura de Noa differens palam refert ad imputatam fidei iustitiam, Heb. 11. Noë eius, quæ secundum fidem est, iustitiæ haeres est factus. Ex eodem ergo fundamento ipsius deducitur perfectio. Atq; hæc est prima ratio perfectiōnis renatorum. Deinde verò sunt etiam in sua inchoata obedientia aliquo modo perfecti, quatenus adherens imperfectio tegitur sanguine Christi, pensatur & suppletur obedientiæ Christi perfectiōne. Tertiò perfectiōnis vox in huiusmodi laudationib. personarum opponitur hypocrisi, & significat integritatem; ut perfectum idem sit quod sincerum, absq; fūco & simulatione. Sic obedientia Iosia regis prædicatur esse perfecta, quia non hypocritica, sed vera & sincera. Sic Noë dicitur perfectus, quia non erat hypocrita, qui pietatem duntaxat simularet, sed vero corde timebat & colebat Deum. Deniq; hoc ipsum elogium tribuitur illis comparatè, fa-
 stavi-

DE LIBERO ARBITRIO. 105

Et a nimirum collatione ad impios: quemadmodum de Noë scribitur, quod perfectus fuerit in generationibus suis, id est, collatus ad corruptam illam turbam hominum impiorum suae aetatis in primo & originali mundo. Quodq; aliàs non per omnia fuerit à κατὰ τὴν ἱστορίαν, ostendit historia, nauum eius memorans, quod inebriatus vino iacuerit nudus in tabernaculo suo, Gen. 9. Reliqua argumenta Pontificiorum, quibus contendunt, renatos in hac etiam vita, auxiliante Spiritu sancto, posse legem Dei perfecte adimplere, confutabimus, Deo volente, in tractatu alio, qui de Lege instituetur.

DE STATV HOMINIS (ratione libertatis arbitrij) in vita æterna.

Quale erit arbitrium voluntatis
nostræ in vita æterna?

Erit id sublati cunctis infirmitatibus
carnis & peccati vndiquaq; rectum &
perfe-

perfectum. Cognoscent enim electi & beati Deum, sicut & cogniti sunt, aspecturi illum facie ad faciem, 1. Cor. 13. visuri eum, sicuti est. 1. Ioh. 3. Erunt insuper induti sempiternæ illius, per Christum nobis reductæ iustitiæ habitum, atq; sic, peccato radicitus exterminato, in uniuersa natura sua erunt omni ex parte iusti & sancti.

Num autem, quæ facient, liberè facient, id est, num sic Deum colent ac diligunt, vt ab eo bono sese ad malum denuò possint auertere? Hoc enim si negetur, quomodo constabit arbitrij libertas, si voluntas non ad vtrunque oppositorum vertere se queat, sed iam ad alterutrum, nempe bonum, tantummodò alligata sit?

Vox libertatis geminum habet significatum. Primum enim liberum dicitur, quod in arbitrio hominis positum est facere vel omittere, atq; sic pariter se habere ad vtrunq; oppositorum. Deinde liberum coactioni opponitur,

DE LIBERO ARBITRIO. 107

nitur, & dicitur id, quod non est coactum, sed à spontanea voluntate profectum, quantumvis voluntas ad utrunq, oppositorum eligendum aut faciendum se vertere nequeat, sed iam ad alterutrum reducta & determinata sit. Priore modo Adam & Eva liberum habebant arbitrium ad bonum malumve se vertendi. Talis libertas flectendi se etiam ad malum, non regnabit in futuro seculo. Posteriore autem modo plenissime constabit voluntatis nostrae libertas, quatenus Deum colimus, diligemus, celebrabimus liberè, non quòd hac dictione (liberè) tribuatur electis quaedam vis ad oppositum his actionibus malum se flectendi: sed quòd has actiones prestituri sumus, non coacti, sed spontanea promptissimaq, voluntate incredibili cum delectatione & voluptate.

Potest res declarari exemplo?

Exemplo sunt angeli, qui inde ab initio suae creationis Deum liberè coluerunt: deinde, ceteris per inobedientiam reuulsis in bono sic sunt confirmati, ut in aeternum amplius non excidant. Hoc igitur in seuto statu
celum

colunt illi etiamnum Deum, idq̄ liberè, non
 quòd amplius excidere valeant, aut quòd li-
 bertatis vocabulum δὲναμῶν designet eli-
 gendi contrarium, sed quia cultus hic non
 contra ipsorum voluntatem, coactè, sed secun-
 dum voluntatem, cum delectatione, ab illis
 Deo opifici dependitur. Ad eundem modum
 & electi in regno cœlesti non modò non pec-
 cabunt, sed ne quidem poterunt peccare: atq̄
 sic in æternum diligent colentq̄ Deum, id ve-
 rò ipsum ideo liberè, quia ex propensis-
 sima voluntate spontaneè, &
 non coactè.

F I N I S.

FRANCOFVRTI AD
Moenum excudebat Io-
hannes Spies.



ANNO

M. D. XCVII.

FRANCISCVS

MAGISTRVS EXCUBITVS IO-

HANNES SPIES



ANNO

M. D. XCIII

154/164

AD 154/164


ULB Halle 3
001 780 018




sb

164







ARTICVLVS
DE LIBERO
ARBITRIO, SEV HV-
MANI ARBITRII
VIRIBVS,

EX SCRIPTVRÆ
SACRÆ FVNDAMENTIS EX-
tractus, & forma Quæstionum ac Re-
sponsionum pertra-
ctatus.

REFVTATIS E CONVERSO
PONTIFICIORVM, SYNERGI-
starum, Pelagianorum & Semipelagianorum
opinionibus, & quibus cæ nituntur,
rationibus & argu-
mentis.

AUCTORE
ÆGIDIO HVNNIO,
S. THEOLOGIAE DO-
ctore, Professore, & Pastore
Vuitebergenfi.

FRANCOVRTI AD MOENVN,
TYPIS IOANNIS SPIESSII,

M. D. XCVII.

4

